Enreg. 693.

Fiche

INSTITUTIO
INTERPRETIS
SACRI.

Staatsbibliothek
München

ELUCUBRATUS EST

GREGORIUS MAYER

E COENOBIO MELLICENSI

IN VNIUERSITATE VINDOBONENSI LINQUARUM ET HERMENEUTICES PROFESSOR
P. O.

VINDOBONÆ,
TYPIS CHRISTIANI FRIDERICI WAPPLER.
1789.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

ILLUSTRISSIMO

AC

REUERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

MAXIMILIANO

VERHOVACZ AB EHRENBERG

CLERI ZAGRABIENSIS PRAESULI

S. C. R. A. M. CONSILIARIO

CAET. CAET.

HOC OPUSCULUM CONSECRAT.

AUCTOR.

AL

EXCMO. SEÑOR

D. MAXIMILIANO

VERNOVA SOLBERNIEGO

CABALLERO GRAN CRUZ

DE LA REAL Y DISTINGUIDA ORDEN

DE CARLOS III.

CONSEJERO DE ESTADO,

SENADOR DEL REINO,

CAPITAN GENERAL DE EJÉRCITO,

ETC. ETC. ETC.

ADMONITIO

AD

LECTOREM.

Mutata praesenti anno academico studii exegetici ratione, nouo compendio indigebam, quod Auditoribus meis explanarem; itaque, quem coram

vi-

vides, libellum conſcripſi. In eo compilando ordini, breuitati, et veritati ſtudui. Et ordinem quidem, in plerisque, retinendum putaui, quem Jo. Aug. Erneſti in praeclara ſua N. T. interpretis inſtitutione ſequitur. Ex hocce libello non pauca depromſi. Egregie quoque adiutus ſum noſtri Richardi Simonii Hiſtorica Critica, et Introductionibus, quas duumviris Jo. Dav. Michaelis, et Jo. G. Eichhorn in acceptis referimus. Non commemoro caeterorum Virorum eruditorum opera, quae data occaſione excito. Libenter ex Turretini *Tractatu bipartito* profeciſſem, ſed hunc librum per temporis anguſtias habere nequibam. In notis,

quae

quae §. 122. ſubiiciuntur, et alibi eruditus Lector quaedam librorum et auctorum nomina deſiderabit: errorem ex parte emendo in *Delineatione hiſtoriae exegeſeos.* In hac ipſa delineatione monitis Critici Ienenſis, qui elapſo anno de hiſtoria mea litteraria iudicium tulit, morem gerere ſtudui; quanquam difficile fuit eius votis omnino ſatisfacere. * Stilo tantam, quantam optaui, curam impendere nequiui; dedi tamen operam, vt ne barbarus eſſet. In ipſo argumento libri plura reprehenſioni obnoxia eſſe, equidem non mirer, quum materiam difficilem, et non nimium tritam pertractandam haberem. Spero, aequum lectorem non ita in

libello meo venaturum vitia, vt, quod forte boni habet, frigidus praetereat. Scribebam Viennae menſe Januario a. 1789.

* Ideam hiſtoriae litterariae Vir doctus animo concepit, a qua longiſſime abſunt, quotquot ante nos argumentum iſthoc adtigerunt. Moderatius hac de re ſtatuit Criticus Berolinenſis, qui tamen benignius pro ſua humanitate de libello noſtro pronunciauit, atque pronunciaſſemus ipſi, ſi haec nobis prouincia data fuiſſet.

INDEX CAPITUM.

PARTIS PRIMÆ SECTIO I.

Pag.

Prolegomena. I

Caput I. de ſenſu verborum, . . 6

Caput II. de verborum generibus et vario vſu. 12

PAR-

PARTIS PRIMÆ SECTIO II.

Pag.

Praeliminaria. 20

Caput I. de vſu loquendi reperiendo in linquis mortuis et ſcriptore quolibet vniuerſe. 22

Caput II. de ſenſus reperiendi rationibus ſubſidiariis. 29

Caput III. de reperiendo vſu loquendi Vet. T. ſubſidio linquarum. . 34

Caput IV. de reperiendo vſu loquendi Vet. T. per ſubſidia quaedam alia. 42

Caput V. de reperiendo vſu loquendi N. T. 53

Caput VI. de Noui Veterisque T. loquendi vſu per auctoritatem conſtituendo. 66

Caput VII. de dictione tropica iudicanda et interpretanda. 72

Caput VIII. de emphaſibus iudicandis. 81

Caput IX. de locorum conciliatione. 88

Pag.

Caput X. de citatis Veteris Teſt. in N. obuiis. 94

Caput XI. de verſionibus Bibliorum ſcribendis et iudicandis. . . . 103

PARS SECUNDA.

Caput I. de librorum S. ſinceritate et integritate. 113

Caput II. de canone librorum S. 118

Caput III. de inſpiratione librorum S. 125

Caput IV. de ſermone, quo conſcripti ſunt libri S., itemque de librorum diuiſionibus, interpunctionibus caet. 130

Caput V. de autographis librorum S. 139

Caput VI. de codicibus ſcriptis eorumque vſu. 143

Caput VII. de editionibus librorum S. 174

Caput VIII. de verſionibus antiquis earumque vſu. 206

Ca-

Pag.

Caput IX. de citatis in libris Veterum occurrentibus eorumque vſu. . 251

Caput X. de variis lectionibus, earum cauſſis, fontibus, iudicio et delectu. 259

Delineatio hiſtoriae exegeſeos. . 288

PRO-

PROLEGOMENA.

§. 1.

Quodsi doctrina sacra e libris sacris potissimum haurienda est, nemo non intelligit, quanti Theologiae vniuersimque Religionis interfit, vt, qui sacras disciplinas profitentur, in diuinorum librorum interpretatione recte versentur.

§. 2.

Quam hoc certum est, tam est arduum atque difficile interpretis sacri munus pro eo ac dignum est sustinere. Cum enim omnis librorum veterum interpretatio multum eruditionis, iudicii, ingeniique postulat, tum ea librorum sacrorum ratio est, vt, siue res, siue sermonem, quo eas complexi

funt ſcriptores ſacri, ſpectes, in difficultates inſuperabiles non raro incidas.

§. 3.

Eſt vero *interpretatio*, vt ſummi Viri Erneſti verbis vtar, facultas docendi, quae cuiusque orationi ſententia ſubiecta ſit, ſeu, efficiendi, vt alter cogitet eadem cum ſcriptore quoque.

§. 4.

Manifeſtum eſt, hoc efficere eum non niſi poſſe, qui cogitata ſcriptoris e verbis rite colligere, et vero etiam plane enarrare in promtu habeat.

§. 5.

Quo fit, vt, quantum interpres explicandi facultate, tantum eruditione et acumine ingenii pollere debeat, quo mentem ſcriptoris recte adſequatur.

§. 6.

Atque vt de poſtremo nunc potiſſimum dicamus, praeter eruditionem multiplicem acumen quoque ingenii deſiderari, cum ex eo, quod ſermonis humani ſumma *ακριβεια* esse nequeat, ſcriptorumque vitio non raro

ac-

accidat, vt magis etiam oratio fluctuet, tum ex ipsa sacrorum librorum ratione intelligitur.

§. 7.

Et quanquam acumen hoc ingenii scientia praeceptorum, qualia de interpretando sunt, in multis carere potest; quum tamen praecepta isthaec magnorum interpretum obseruatis constent, neque in mentem semper quorumuis, quae vsus esse alicuius possunt, vel exercitatis venire soleat, in propatulo est, praeceptis eiusmodi interpretem non parum adiuuari.

§. 8.

Quemadmodum vero artis scientiaeque alterius cuiuscunque, quae quidem in *agendo efficiendoque* posita est, praecepta sine vsu exercitationeque parum commodi habent, propterea, quod praecepta sine vsu leuiter non nisi animum adtingant, habilitasque non nisi exercitatione accedat, ita prorsus de interpretandi praeceptis existimandum.

§. 9.

Erit igitur interpreti opera danda, cum vt in aliorum praeclaris commentationibus euoluendis insudet (quod tironibus vel

maxime proderit), tum vt ipſe aliquid eo in genere tentet; quo fiet, vt ad obſeruata, quibus conſtare praecepta interpretandi commodum diximus, ipſus deferatur, praeceptaque ipſa et diſtinctius intelligat et altius animo infigat, quaeque recte, quae ſecus ex obſeruatis hiſce collecta, nullo negotio deprehendat.

§. 10.

Atque ut propius iam ad rem noſtram accedamus, est per ſuperius dicta (§. 3.) *Hermeneutice* ſcientia, quae, quo pacto ſenſus ſcriptoris et inueniatur, et inuentus recte explicetur, perſpicue docet.

§. 11.

Et quoniam hoc ſine praeceptis (in multis quidem certe) fieri fix poteſt (§. 7.), praeceptaque ipſa ſine obſeruationibus quibusdam generalibus de *ſenſu generibusque* verborum neque perſpicue explicari, neque recte intelligi poſſunt, ſequitur, ut Hermeneutice omnis partim *contemplatiua*, partim *praeceptiua* eſſe debeat.

§. 12.

Iam illud quoque non parum interpretem noſtrum iuuabit, ſi de libris ipſis, ad quo-

quorum intelligentiam adſpirat, deque eorum auctoritate, ſinceritate, lectionisque adeo varietate quaeſtionibusque connexis mentionem iniecerimus, quo fit, vt duas Hermeneutices partes diſtinguere poſſimus, quarum prior bifariam et ad *obſeruationes generales*, et ad *praecepta* pertineat, altera materiem quaſi, quam tractet interpres, adtingat.

PAR-

PARTIS PRIMAE.

SECTIO I.

Contemplatiua.

CAPUT I.

De ſenſu verborum.

§. 13.

Quodſi ad primam ſermonis humani originem animum aduertimus, reperiemus, non temere vocem aliquam eſſe, cui ſententia ſignificatioque certa conſtituta non ſit.

§. 14.

Et quamquam penuria vocum ſucceſſu temporis fieri debuit, vt vocis vnius non vnus ſignificatus maneret, facile tamen ex ipſo ſermonis ſcopo, conſuetudineque apud omnes gentes recepta colligere eſt, vocis etiam eiusmodi, quae multiplici ſententia

di-

dicitur, loco quouis non multiplicem, ſed vnum ſignificatum eſſe. *

* De luſibus verborum iſthic non dicimus.

§. 15.

Inde vero conficitur, *primum* voci cuilibet (ſiquidem de ſcriptore res eſt, qui ſermone recte vtatur) ſubiectam aliquam ſententiam eſſe; *deinde* ſententiam eam non niſi vnam eſſe poſſe.

§. 16.

Haec ſi rite collegimus, ſenſumque eum, quo de adhuc diximus, *litteralem* adpellare lubet, de ſenſu litterali adſertum utrumque valebit.

§. 17.

Et quoniam Scriptores ſacri finem ſermonis humani conſuetudinemque latiſſime pertinentem (§. 14.) migrare vix potuerunt; non erit, cur de eorum ſermone aliter, atque de ſermone profani cuiusque ſcriptoris, quantum ad hocce argumentum ſpectat, ſtatuamus. *

* Fatemur, nobis indolem ſermonis prophetici non ſatis perſpectam eſſe.

§. 18.

§. 18.

Itaque defendi haud poteſt, quod Conf. XII, 30. 31. * pie magis, quam vere adſerit d. Auguſtinus, quo ſemel admiſſo commentis humanis porta latiſſima aperta erit.

* Eundemque famulum tuum (Moſem), eius verba ſunt, ſcripturae huius diſpenſatorem ſpiritu tuo plenum ita honoremus, vt hoc eum te reuelante, cum haec ſcriberet, adtendiſſe credamus, quod in eis maxime et luce veritatis et fruge vtilitatis excellit. Ita cum alius dixerit: hoc ſenſit, quod ego; et alius: immo illud, quod ego; religioſius me arbitror dicere, cur non vtrumque potius, ſi vtrumque verum eſt? et ſi quid tertium, et ſi quid quartum, et ſi quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidiſſe credatur, per quem vnus Deus ſacras litteras vera et diuerſa viſuris multorum ſenſibus temperauit? cact.

§. 19.

Neque iudaicus mos *allegoriis* omnia replendi apud cordatum interpretem pondus habebit, qui, quantum ſacrorum Scriptorum, Patrumque auctoritatem reuerebitur, tantum cauebit, ne, quae pro temporum illorum ratione ingenioſe, ornandaeque aliquando orationis cauſſa ab vtrisque dicta, vltra iuſtos limites adducat. *

* V, quae in epiſtolam ad Gal. commentati ſumus.

§. 20.

§. 20.

Quin ipſe ille *typicus ſenſus*, quem poſt Patres magni quidam interpretes commendant *, et quem confirmare praeter *citandi* formulas in N. T. obuias loca quaedam S. Scriptorum videntur **, non temere ſumendus, ſed firmis rationum momentis euincendus eſt, ne ad arbitrium confictus potius, quam ad Spiritus S. conſilium referendus videatur.

* Grotius Annotat. in Matth. Cap. I, 22. Lowth de Poeſi S. Hebr. praelect. XI. Eiusd. Anmerk. zu Jeſai. VII, 14—16. item vorläufige Anmerk. zu XL. Dathe Jeſai. Cap. VII. not. c. Cap. XLII. not. a.

** Matth. XII, 40. Joa. III, 14. XIX, 36. I. Pet. III, 21. Rom. V. 14. Hebr. IX, 8.

§. 21.

Eſt porro ab omni conſuetudine ſermonis alienum, quod veteribus quibusdam *, et recentius, vt alios taceam, Woolſtono ** placuit, eſſe nimirum quaedam Scripturae loca, quae litteralem ſenſum nullum admittant. Quod quidem adſertum partim ignorantiae, partim nimiae cuidam ingenii ſollertiae, ne petulantiae dicam, adtribuendum.

* V. Auguſt. de liuitate Dei Lib. XV. Cap. XXVII.

** Diſcourſes on the miracles of our Saviour.

§. 22.

§. 22.

Fuerunt alii, qui ſenſum verborum minus, quam Spiritus S., quae comminiſcuntur, dictata, vel *analogiam*, quam dicunt, doctrinae adtendendam edicerent; quos quidem libentius audiremus, ſi, aut vbi promiſſum *certum* Spiritus S. auxilium in ſacris monumentis interpreti ſit, aut quae analogia doctrinae ex litteris ſacris non collectae eſſe queat, nos diſtincte edocerent.

§. 23.

Vno verbo et *litteralem* eſſe oportet, quem in ſcriptis ſacris ſumimus ſenſum, et ex *vſu loquendi*, quoad eius fieri poteſt, collectum. De primo ſatis hucusque dictum. Alterum quod adtinet, nemo vmquam fuit ſcriptorum, qui, quid vſus loquendi poſtulet, non adtenderet.

§. 24.

Neque id mirum cuiquam videri poteſt, qui perpenderit, verborum ſignificatus non arbitrio ſingulorum relictos, ſed communi nationum auctoritate conſtitutos ſancitosque eſſe.

§. 25.

§. 25.

Et quoniam multa in ſermone humano, emortuo maxime, incerta ſunt, ſcriptoresque ipſi haud ſatis diſtincte planeque ſemper dicunt, fit non raro, vt ex vſu loquendi de ſenſu ſcriptoris certi ſtatui nihil poſſit, tum enim vero ad conſilium ſeriemque orationis, *contextum* dicunt, nos recipimus; quod ſummo iure fieri mos ipſe ſcribendi et ad certum ſcopum omnia adcommodandi ſatis demonſtrat.

§. 26.

Et illud dubio caret, ſi quando dictorum repugnantia oritur, *conciliationem* recte tentari, propterea, quod non temere ſumendum ſit, ſcriptorem, qui quidem ſibi alias conſtet, dicta ſua refutare. Quod tamen ſobrie intelligendum, ne nimis in conciliando faciles eſſe videamur.

§. 27.

Et quanquam pugna *diuerſorum* ſcriptorum in humanis ſaepe nos parum ſollicitos habet; non eadem tamen ſacrorum Scriptorum ratio eſt, qui, ſiquidem ope diuina adiuti commentati ſunt, de quo videbimus alio loco, conſtare ſibi inuicem debent.

CAPUT II.

De verborum generibus et vario vſu.

§. 28.

Nemo non videt, de ſenſu verborum recte conſtitui non poſſe, niſi *diſcrimen* eorumdem, diuerſaque ratio intelligatur. Quare de hoc diſcrimine nunc praecipiendum.

§. 29.

Et verba quidem alia eſſe *propria*, *tropica* alia, in vulgus notum eſt; ſed de origine tropicorum adcuratius expoſuiſſe iuuabit.

§. 30.

Prima ſermonis inſtitutione id procul dubio vnum agebatur, vt propria rebus, de quibus ſermocinari vellet rudis aetas, eſſent nomina.

§. 31.

Conſequebatur id paucis ſignis, iisque eiusmodi, quae ad res ſenſiles potiſſimum ſpectarent, cuius vtriusque ratio in oculos incurrit.

§. 32.

§. 32.

Paullatim euoluebantur animi ſenſus, et in latiorem campum exſpatiabantur cogitatus; quod, poſtquam in ſocietates paullo maiores conceſſum eſt, eo magis fieri debuit. Hic enimuero de ſignis pluribus videndum erat.

§. 33.

Fuerint nunc noua procuſa vocabula non pauca, ab excitatioris praeſertim cultiorisque paullo ingenii hominibus, quales vna gens prae altera procul dubio habebat. At tot vocabula inuenire, quot res eſſent, de quibus ſermonem miſcere nunc adtinebat, infiniti laboris erat, et nullius vſus, quum eadem memoriae commendare nemo poſſet.

§. 34.

Itaque compendio locus factus. Vocabula, quae in promtu erant, ad res nouas translata.

§. 35.

Necdum de ornatu aliquo elegantiaque ſermonis cogitatum. Quae tropica adhibebantur vocabula, ea neceſſitati potius, quam ornatui inſeruiebant; vt taceam, tropica eius-

eiusmodi vocabula ipso quotidiano vsu euilescere debuisse.

§. 36.

Neque mirum esset, si in tropicis hisce vocibus quaedam paullo audaciores adhibitae fuissent, quales nostra consuetudo haud fert; calidius enim, mobiliusque ingenium, rerum nouitas admirationem ciens, ipsaque sermonis inopia audaciam suadere poterant.

§. 37.

Enata poesi, et, in ciuitatibus liberis, dicendi facultate, tropi iam variandae ornandaeque orationis ergo adhibiti vtique fuerint, quales quidem, quotidiano vsu frequentati tritique, esse haud poterant. Itaque ingenio nunc locus erat.

§. 38.

In ipsa familiari consuetudine loquendi proprius quorundam vocabulorum significatus paullatim in desuetudinem abire debuit, propterea, quod in virili aetate aliter in multis sermonem conformari necessum esset, nec delectarent iam prisca crepundia. Illud certe ex linquarum propemodum omnium historia eluceſcit, *primos* vocabulo-

rum

rum significatus *deriuatis* minus vsitatos esse.

§. 39.

Et illud ex eadem linquarum historia ediscimus, tropos quosdam paullo exquisitiores (si ad rudem aetatem referantur) successu temporis, crescenteque cultura animorum ita familiares fieri, vt a quotidiano sermone haud abhorreant, ipsoque etiam vsu quotidiano de vi sua deperdant.

§. 40.

Et haec quidem, quae de propriis tropicisque vocabulis adhuc adtulimus, alibi rectius ad argumentum nostrum adcommodabimus. Subiungimus isthic, de sensu tropicorum non aliter, atque de sensu propriorum existimandum esse; eum nempe loco quouis vnum non nisi existere, et *litteralem* (§. 16.) quum ex vsu loquendi, vti sensus propriorum, colligatur, rectissime dici.

§. 41.

Aliud, vt coepta nunc prosequamur, discrimen est vocum, quae cum et sine *emphasi* dicuntur; vbi, ne contentionibus occasio praebeatur, ipsa vocabuli explicatio ad-

adferenda. Eſt igitur emphaſis quaedam, vti Erneſti definit *, ad ſolitam verbi ſignificationem acceſſio.

* Inſtitut. Interpret. P. I. S. I. C. II. §. 15.

§. 42.

Non de vi vocis graecae quaerimus, quaecunque eius fuerit olim poteſtas, ſed de conceptu, quem eidem, *arbitrarie* ſi placet, ſubiicimus, dum fateamur, eundem momentum in interpretando facere; de quo dubitare, quae in ſequentibus peculiari loco monebimus, haud ſinent.

§. 43.

Sumto itaque, quod in definitione poſuimus, ſequitur *primum*, vt nulla ſit vocis, vel ſi tropica ſit, emphaſis *per ſe*; *deinde* vt inanis exiſtat vulgaris partitio in emphaſim *verbalem* et *realem*.

§. 44.

Temporarias conſtantesque emphaſes diſtinquere omnino licet. Quanquam *temporariae* pleraeque omnes ſunt, quae in Codice ſacro vtroque, vti in omni ſermone, magna copia occurrunt.

§. 45.

§. 45.

Pendere porro temporarias ab adfectu loquentis reique grauitate, et ex vtroque rectiſſime colligi, vti conſtantes ex vſu loquendi, nihil difficultatis habet.

§. 46.

Vocabula alia *ευφημα* et *δυσφημα* ſunt, quae partitio facile ex vocibus ipſis intelligitur, quanquam nullum proprie eſt, vt Philoſophi monent, vocabulum *ευφημον* vel *δυσφημον*, ſed tale fit per acceſſorias ideas.

§. 47.

Indeque exiſtit cautio, ne de *ευφημοις* et *δυσφημοις* vocabulis ex noſtra conſuetudine loquendi pronunciemus; quum fieri poſſit, ſaepeque fiat, vt quae noſtra conſuetudine *δυσφημα* ſunt, honeſtiſſime alio ſermone dicantur, et e conuerſo.

§. 48.

Vti notiones ſunt vel *disiunctorum* vel *generis* et *formarum*, ſic pariter verba tribui poſſunt; quae diſtributio egregios vſus habet. Nam quemadmodum ex notione vnius disiuncti de notione alterius ſtatui vtcunque poteſt; ita de vocum ſignificatu habet, vt

si Jesai. XXXI, 3. nescias quid רוח sit, ex disiuncto בשר colligas. Quo tamen loco cauendum, ne e disiunctorum alterutro plene vocum, dictionumque significatum intelligere nos putemus, quod fit contra; vt si II. Cor. III, 7. teneas, quid διακονια εν γραμμασι dicatur, non ideo distincte explicare queas, quid v. 8. διακονια του πνευματος sit.

§. 49.

Denique *abstracta* et *concreta* vocabula distinquunt, quae partitio non est minoris vsus. In orientali enim sermone abstracta pro concretis identidem recurrunt; quae interpretes ex nostra consuetudine aestimantes, neque intelligentes, penuria vocum primum factum esse, vt abstracta frequentarentur, in alienos sensus detorsere.

§. 50.

Illud praeterea hoc loco in memoriam reuocandum, esse in omni sermone non pauca, quae nostro examussim reddere haud possimus. Cuius quidem rei ratio hæc est, quod idearum conformatio pro educatione, vel reipublicae, seu sacrae, seu profanae constitutione diuersa, pro diuerso etiam loco et tempore variare consueuerit.

§. 51.

§. 51.

Atque in eodem etiam ſermone, eodemque loco et tempore vocabula ſenſu multum diuerſo dicuntur, quo pertinent voces artibus ſcientiisque conſecratae; vniuerſimque adfirmari poteſt, voces a diuerſis hominibus prolatas ſaepe diuerſum admodum ſenſum fundere, cuius rei perſpicua exempla Paullina ſcripta ſuppeditant.

PARTIS PRIMAE

SECTIO II.

Praeceptiua

De ſenſu recte quaerendo

Praeliminaria.

§. 52.

Egimus adhuc de *ſenſu generibusque verborum* et *vario* eorundem *vſu*. De regulis interpretandi iam videndum.

§. 53.

Regula generatim eſt formula enuncians modum, quo aliquid fieri debeat. Quamobrem *regulae* interpretandi (§. 3.) formulae erunt, quae modum edoceant ſenſum verborum et reperiendi et declarandi.

§. 54.

Regulas, per quas ſenſus verborum reperiatur, tradi poſſe, ex eo intelligitur, quod ſermo humanus certis legibus regatur.

§. 55.

Quo tamen non obſtante vitio ſcriptoris fieri poteſt, vt de ſenſu loci multoties ambigui haereamus; quod cum accidet, hactenus certe vſum habebunt regulae, vt nos a ſententia ferenda dehortentur.

§. 56.

Concluſas eſſe debere regulas ex obſeruationibus, non e dialecticis argutiis, ipſa origine ſermonis cumulate declaratur.

§. 57.

Itaque ad vſum loquendi quaeſtio haec omnis redit, videndumque in ſequentibus erit, quo pacto ad hunc vſum loquendi certiſſima tutiſſimaque via deferamur.

§. 58.

Et quoniam praeter vſum loquendi generalem, quod hiſtoria linquarum docet, et ex iis, quae mox ſupra (§. 50.) obſeruauimus, ex par-

parte colligi poteſt, ſingularum linquarum proprius eſt, nobisque iſthic Codicis ſacri interpres formandus eſt, de vtroque, generali nimirum, et proprio Codicis Sacri vſu loquendi praecipiendum iam erit.

CAPUT I.

De vſu loquendi reperiundo in linquis mortuis et ſcriptore quolibet vniuerſe.

§. 59.

Vſus loquendi argumentis *a priori*, quae dicunt, colligi nequit. Pendet enim ab inſtitutione ſermonis, quae arbitraria eſt, adeoque arbitrarius eſt ipſe et in *facto* poſitus.

§. 60.

Factum teſtimoniis firmatur; idem itaque eſt de vſu loquendi. Neque valet argumentum, vbi is dubius eſt, quod teſtium auctoritate non nitatur.

§. 61.

Teſtis facti notitia deſtitutus, vel qui notitiam facti hauſit ex teſtimonio aliorum, vnde diſcere ipſi poſſumus, proprie nullus eſt.

eſt. Itaque cum de ſermone emortuo res eſt, teſtes agere nequeunt, qui hodie ſunt eruditi. Non enim aliunde, niſi ex libris, quos adire cuilibet integrum, ſermonem dicere.

§. 62.

Teſtes ex aduerſo ſunt, quibus ſermo, de cuius loquendi vſu quaerimus, vernaculus fuit, aut, qui eundem didicere tum, quum adhuc in vſu eſſet. Vtrique enim e viua inſtitutione hauſerunt, edocereque adeo nos multa poſſunt, quae ex libris ſumi nequeunt.

§. 63.

Teſtium quoque loco haberi poſſunt, qui ſermone vſi ſunt, vtunturue hodie, ei cognato, cuius vſus loquendi inueſtigatur. Quae enim communia habet ſermo vterque, ea vtralibet confirmari poſſunt, et ſolent in cognatis linquis reperiri multa, quae eiusdem generis ſunt, mutuoque ſeſe illuſtrant.

§. 64.

Itaque valebit eorum quoque teſtimonium, qui has ipſas linquas cognatas ab aliis, quibus patriae erant, edocti ſunt.

Te-

Teſtari enim de vſu loquendi harum linquarum poſſunt (§. 62.).

§. 65.

Caeterum non vnum pondus eſſe horum teſtium, ſed maius minuſue, pro adiunctorum diuerſitate, quae quidem momentum in re facere poſſunt, per ſe intelligitur. Sic nemo dubitabit, quin praeferendus teſtis ſit, cui ſermo vernaculus, ei, qui eumdem didicit, vel qui cognati ſolum ſermonis conſuetudinem tenet; itemque teſtis, qui ſe ipſum explicat, extraneo; porro qui aetati, qua ſcriptor vixit, cuius in interpretatione verſamur, propior eſt, ei, qui ab eadem paullo magis diſtat, quum linquae, quod experientia docet, in perpetuo fluxu ſint, multumque tempore immutentur. Neque eadem linquarum cognatio eſt, ſed maior alia, alia minor, ipſique, qui linquas tenent, non aeque adcurata earundem notitia pollent. Taceo alia de quibus commodius alio loco dicetur.

§. 66.

Ipſum porro teſtimonium, quod ferre teſtes ſolent, non vnius modi eſt. Iam enim vertendo et commentando, iam grammaticorum in morem voces phraſesque explicando, vel gloſſas ſcholiaque aliorum adfe-

ferendo, ipſisque etiam exemplis e ſcriptis colligendis non raro nos iuuant, quos teſtes eſſe hac in re poſſe, mox ſupra ſtatuimus.

§. 67.

Nullum illuſtrius frequentiusque vſurpatum teſtimonium eo eſt, quod loca ſimilia, *parallella* dicunt, ſuppeditant; quo quidem vno interpretes ſacri et profani maxime confidunt; vt noſtra interſit, in quo poſita ſit vis teſtimonii, et quo pacto haec tota ratio tractanda, breuiter declarare.

§. 68.

Atque illud primum in oculos incurrit, cardinem rei, vbi de locis parallellis agitur, in eo verti an loca reapſe parallella i. e. ſimilia ſint. Hoc enim ni fit, falſas explicationes e locorum eiusmodi comparatione enaſci debere, in propatulo eſt. Quae res, dici non poteſt, quot errores in librorum ſacrorum interpretatione pepererit; obrepſitque vitium ſummis etiam non raro in hocce ſtudio viris.

§. 69.

Et potuit quidem aliquando non ita magno negotio error vitari, propterea, quod ſibi a leuiſſima vocis vnius alteriusue ſimi-

li-

litudine imponi paterentur, insuper habita sententia contextuque vniuerso. At alias difficilius erat, cum nempe similitudo paullo adcuratior, vel explicandi facilitas in locis vexatis, praeconceptaeque etiam opiniones in errorem inducerent. Quo circumspectius de locorum similitudine ipsa pronunciandum.

§. 70.

De hac vbi dubium nullum fuerit, proximum erit, vt videamus, qui locus clarior sit; ne explicationem petamus e loco obscuriori; in quo ipso non semel peccatum est, saepeque ad illustranda loca difficilia in medium prolata aut aeque, aut magis ambigua. Quod fit maxime, cum impediti praeiudicatis opinionibus ad lectionem sacram accedimus, et verba phrasesque, quibus ab ineunte aetate adsueuimus, aut quas consecrauit Theologorum consuetudo, vel ideo recte nobis intelligere videmur.

§. 71.

Est autem locus clarior, qui spectato vsu loquendi non habet nisi interpretationem vnam, quam declarare explicandis legibus sermonis perspicue possimus, vt aut hae refutandae, aut illa agnoscenda sit, quum ex aduerso locus obscurior incertum

sen-

ſenſum pariat, inflectique in hanc et alteram partem poſſit, quin ex vſu loquendi ſuppetat, quod dubium tollat.

§. 72.

Locorum porro ſimilium genus non vnum eſt, poſſuntque comparari loca, in quibus iam de vocibus ſingulis, iam de integris ſententiis agatur; cuius vtriusque generis infinita promemodum exempla in ſcriptis ſacris occurrunt; vti ſi dubites, quid I Moſ. II, 1. צבא, vel v. 9. עץ חיים ſit, vel quo ſenſu I Sam. X, 11. נבא dicatur, collatis locis V Moſ. IV, 19. I Moſ. III, 22. I Chron. XXV, 1. et I Sam. X, 5. diſcas. Itemque ſi ſcire velis, qui ſint II Theſſ. III. 6. *αδελφοι ατακτως περιπατουντες* vel I Theſſ. III., 13. *ἁγιοι*, vel qua poteſtate Jo. III, 3. 5. veniant formulae *γεννηθηναι ανωθεν*, et *γεννηθηναι εξ ὑδατος και πνευματος*, conferendo loca II Theſſal. III, 7. 8. 11. II Theſſal. I, 7. Epheſ. V, 26. (Tit. III, 5. comperias. Confer quoque, ſi lubet, Matth. IV 20. 22. cum Jo. I 41. Luc. V. 1 — 11. Item Matth. IX, 2. cum Luc. V. 18. 19.

Matth. VIII, 28. Joan. X, 20. — Luc. XI, 20. Matth. XII, 28.

§. 73.

Adparet vel ex paucis hiſce, quam egregium vſum habere poſſit parallelliſmus. Quo magis erit opera danda interpreti, vt locum

hunc

hunc ſibi quam familiariſſimum reddat. Quod fiet, ſi ſcriptorem, quem interpretari volet, ſaepe vno tenore, aut breuibus interpoſitis interuallis legat, vt locorum difficilium ei in mentem tum veniat, cum apud ſcriptorem vel eumdem vel alios offenderit, quod in rem eſſe poteſt.

§. 74.

Neque ſuffecerit perſaepe loci vnius alteriusue comparatio, dubiumque perſiſtet; niſi forte, quod fit raro, loca decretoria ſint. Itaque loca plura adibit cumulabitque argumenta, vt quod ſingulis pondere deeſt, numero compenſetur.

§. 75.

Quae adhuc diximus, ad inueſtigandum vſum loquendi in genere faciunt. Eſt autem vſus loquendi aliquis proprius (§. 50. 51.) vel certae nationis, vel certae aetatis, certae item diſciplinae, Religionis, certique etiam ſcriptoris. Qui quidem vſus loquendi quo pacto reperiatur, non eſt difficile ad intelligendum. Quae enim nationis, aetatis, diſciplinae, Religionis propria ſunt ea praeter vſum loquendi hiſtoria ſuppeditat; quae autem ſcriptor quilibet peculiaria habet, ea ex ſcriptis eiusdem vnice ſumenda.

CAPUT II.

De ſenſus reperiendi rationibus ſubſidiariis.

§. 76.

Egimus adhuc de teſtimoniis, quibus vſus loquendi conſtabiliri poteſt. Et ſi quidem vſus loquendi certa teſtimonia nobis ſemper ſuppeterent, neque ipſe ambiguus eſſet, ſcriptoresque etiam adcurate vbique diſtincteque ſua cogitata explicarent, ſuperſedere ſenſus reperiendi ſubſidiis aliis poſſemus; at ſecus habet: quo fit, vt de rationibus, quibus ſenſus ſcriptoris erui praeterea queat, videndum nobis ſit.

§. 77.

Et primum quidem ſe offert orationis, quem dicunt, *contextus*; cuius vſus bifariam pertinet, vt tam ex *ſcopo* ſcribentis, quam ex orationis ſerie, *antecedentia* et *conſequentia* audiunt, argumentum ducere poſſis (§. 25.).

§. 78.

Ex ſcopo ſcribentis *vno* raro de vocum ſignificatu ſtatui poteſt, propterea, quod nimium laxa ſit ſcopi vocumque ſingularum

con-

coniunctio poſſitque ad conſillum ſcribentis facere haec et illa interpretatio. Quo magis cauendum eſt, ne, praeſertim in loco paullo grauiori, tam incerto argumento confidamus.

§. 79.

Artior multo nexus, qui inter antecedentia, et conſequentia eſſe ſolet, tutiusque adeo, vbi iſthaec fauent, ſententia fertur. At vel in his cautela opus, fierique poteſt, fitque non raro, vt, quae ſignificatio verbi ad ſeriem orationis facere *vnice* videtur, non faciat *ſola*. Ipſa quoque ſeries orationis recte conſtituenda, neque exiſtimandum, ſeriem omnem nos complexos, vbi paucas intra lineas haeſimus.

§. 80.

Omnino totum hoc argumenti genus, quod ſeu ex ſcopo, ſeu ex ſerie orationis ducitur, repudiandum, vbi vſus loquendi manifeſto refragatur. Neque enim temere ſumendum, ſcriptorem, quod nemo homo de triuio facit, legem dicendi omnem migrare.

§. 81.

Atque haec interpreti noſtro eo magis cordi eſſe debent, quo frequentius ab iis, qui

qui ſcripta S. tractant (in quibus tam multa ambigua, peregrina, ἅπαξ λεγομενα occurrunt) ad contextum orationis prouocatur, vt ſi negligenter fiat falſis interpretationibus oppido multis aditus pateat.

§. 82.

Neque eo haec a nobis dicuntur, quo ſuſpectum locum omnem reddamus; quin perſuaſum habemus, tum etiam (maximeque hoc de ſcriptis Vet. T. intelligi velimus) recte contextum orationis adpellari, vbi teſtimoniis res omnis confecta videtur. De quo nemo, opinor, dubitabit, qui perpenderit, quam raro nobis teſtimonia eiusmodi ſuppetant, quae dubium omne tollant.

§. 83.

Faciet porro ad ſenſum reperiendum in locis vel ambiguis vel obſcuris comparatio ſubiectorum et adtributorum, ſubſtantiuorum et adiectiuorum, caſus recti et obliqui, verborum denique et adiectarum determinationum. Quorum omnium ratio in propatulo eſt, cum vni *ſubiecto* non niſi certa *adtributa* et ſic porro conueniant. Ex quo ipſo tamen intelligitur, comparationis huius vſum non multum certi habere.

§. 84.

§. 84.

Firmior minusque dubia interpretatio erit, quam *disiunctorum* comparatio suppeditat (§. 48.), vbi tamen monendum, ipsum *disiungendi* modum, qui apud scriptores sacros valde nonnunquam arbitrarius est, perspectum esse debere, neque negligendum, quod alibi (§. eod.) inculcauimus.

§. 85.

Pondus quoque habebit *analogia* quae dicitur, linquarum, cum ea, quae est vnius eiusdemque linquae, tum quae diuersarum. Et primum quidem genus analogiae partim exemplis continetur, quae capite superiori (§. 66.) inter testimonia retulimus, partim vero ad formas habitusque verborum eorumdemque constructionem redit, ex quibus multoties, vbi certiora desunt, aliquid statui poterit.

§. 86.

Alterum genus analogiae, quod diuersarum linquarum esse diximus, non minorem vsum habere potest. Atque vt de linquis cognatis non dicamus, omnium linquarum vinculum aliquod commune datur, suntque multa, vt hoc potissimum vtar, in Graeco et Romano sermone, quibus illustrari sermo

hebraeus queat; quod ſummi Philologi praeclare viderunt, omniumque, vt in genere dicam, grammaticorum, qui plurium linquarum ſcientia polluere, obſeruatum eſt, poſſe multa ex linquis genio et origine plurimum diuerſis transferri ad linquae alterius voces phraſesque explicandas.

§. 87.

Et ſi quidem de verbis res eſt, quae vel adfectiones animi, vel proprietates rerum ſenſilium notant, nemo dubitat, quin in vno et altero ſermone poteſtate non multum diuerſa dicantur, propterea, quod omnium hominum iisdem in adiunctis ſenſus adfectionesque animi eaedem ferme eſſe ſoleant. At in caeterorum quoque verborum ſignificatibus, ſaepe conueniunt linquae quam diuerſiſſimae, ſuntque oppido multa ex primis vocum ſignificatibus, qui ad ſenſilia ferme redeunt (§. 31.), ſimili modo concluſa.

§. 88.

Eſt denique et analogiae *doctrinae* aliquis locus concedendus. Quamuis enim ſupra (§. 22.) analogiam doctrinae verborum ſenſui praeferendam eſſe, vti par erat, inficiati ſumus; nemo tamen negauerit, eam aliquando, ſi modo recte concluſa ſit, praeclari vſus eſſe. Quidni enim Scriptor ſacer,

vt domeſtico exemplo vtamur, obſcuris ambiguisque verbis de dogmate quopiam differat, de quo alibi perſpicue traditur, vt, cuius tibi in mentem ſine locis hiſce perſpicuis nequaquam veniſſet, per loca haec nunc veniat? quidni porro vagis incertisque ſcriptoris expreſſionibus aditus falſis interpretationibus praebeatur, quae, ſi doctrinae, cui addictus eſt, normam tenes, euitentur?

§. 89.

Omnino ineptus eſſet, qui analogiam doctrinae contra manifeſta verba vrgeret, aut qui loco quopiam doctrinae caput contineri hoc vno argumento ſumeret, quod alibi manifeſtis verbis adſtruatur. At hoc non obſtante et ad conſtituendum ſenſum, vbi veſtigia quaedam indiciaque monebunt, et ad vindicanda perſpicue tradita dogmata (§. 26. 27.) analogia recte vtemur.

CAPUT III.

De reperiendo vſu loquendi Vet. T.

§. 90.

Quae vtroque capite adhuc adtulimus, ad vſum loquendi reperiendum vniuerſe pertinent.

nent. Iam de reperiendo vſu loquendi ſacrorum Scriptorum proprio videndum, agendumque primo de ſcriptoribus Vet. T.

§. 91.

Hebraico graecoque ſermone commentati ſunt, quos inter ſcriptores hoſce cenſemus. Et quoniam de graeco ſermone Vet. Teſt. non multo aliter iudicandum, atque de ſermone, qui in libris N. T. obuius eſt, de ſcriptoribus, qui graeco ſermone vſi ſunt, iudicium ferri poterit ex iis, quae de reperiendo vſu loquendi N. T. alibi dicentur.

§. 92.

Itaque vt de primi generis ſcriptoribus iam dicamus, primo manifeſtum eſt, ſcriptores hoſce ſeſe mutuo illuſtrare, vſumque loquendi ſacrum ex ipſo Codice ſacro quam rectiſſime probari (§. 62.).

§. 93.

Quoniam vero pauca nonniſi monumenta ſunt, quae hebraeo perſcripta ſermone ad nos peruenerunt, explicarique adeo ex hebraicis non omnia poſſunt, fit, vt adpellare ad teſtimonia aliorum, monumentaque alio exarata ſermone non raro debeamus. Quo quidem e genere ſunt Ver-

ſiones antiquae ab hominibus eiusmodi confectae, quibus, licet non hebraeus, at alius cognatus, chaldaicus nempe, ſyriacus, arabicus caet. ſermo patrius erat, quorumque adeo, vtvt forte hebraica ex inſtitutione non omni ſuſpicione libera habuerint, aliqua eſſe poteſt (§. 63.) auctoritas.

§. 94.

Eſt quidem horum interpretum vſus non ſemper tantus, quantum exoptares, propterea quod verſiones, quas dederunt, ſermone magnam partem perſcriptae ſint, cuius indolem eruditi noſtri plerique non multo magis, quam hebraici norunt. At hoc non obſtante adminiculo praeclaro eſſe poſſunt; quum, quae in hebraicis obſcura eſt dicendi conſuetudo, ſaepe nota ſit in dialectis, dialectique ipſae magnam partem vigeant *, vt, quod ſtudii genus necdum ſatis cognitum eſt excultumque, notius et perſpectum magis reddatur impoſterum.

* De Arabica conſtat, de Chaldaica et Syriaca V. Joh. D. Michaelis Abhandlung von der Syriſchen Spr. S. 9, 10.

§. 95.

Neque etiam ſeruilis ratio, quam verſiones iſtae antiquae in interpretando tenent,

vſum

vſum earumdem omnem tollit. Quamuis enim graecarum verſionum hoc ex capite minor plerumque eſt vtilitas, non eodem prorſus modo, vt facile intelligitur, de caeteris iudicandum. Huc accedit, quod ex verſione, vtvt *litterali*, de vocum ſingularum ſignificatu pronunciare non minus liceat; quo vno dici non poteſt, quam multa in Codice Vet. T. illuſtrentur.

§. 96.

Quid quod ipſarum graecarum Verſionum non conſtans is tenor eſt, vt ad verbum hebraica reddant. De Symmacho nemini dubium eſt, pluraque in ipſis LXX. viris eruditis obſeruata, quae ſententiam hebraicam praeclare explicant. *

* V. Jo. Fr. Fiſcheri proluſiones de Verſionibus graecis librorum V. T. Lipſ. 1772. quas tamen non vbique probat Michaelis Or. Bibl. p. V. p. 213. et ſeqq.

§. 97.

Omnino diſcrimen inter Verſiones antiquas agnoſcendum, ſuntque aliae aliis meliores, maiorisque pro interprete vſus. Eminent in graecis, praeter Pentateuchi et Prouerbiorum interpretem, Symmachi reliquiae. In Chaldaicis paraphraſibus ea, quae eſt Onkeloſi in quinque libros Moſis, et

al-

altera, minus bona, Jonathanis in Prophetas.* In Syriacis, ea quae פשיטא (*simplex, litteralis*) audit, qua necdum pro eo, ac dignum erat, vſi ſunt interpretes. ** In Arabicis, quae eſt Rabbi Saadiae Gaon, qui paraphraſim potius, quam verſionem dedit. Denique Latina Hieronymi, pro ea, qua Pater hic praeditus erat, ſcientia, ſermonis interpretem non pauca docere poterit, quorum eum minime poeniteat. In omni vero hoc genere ratio habenda interpolationum, quae, vti in vulgus notum eſt, in omnes Verſiones irrepſere.

* Vide tamen, quae de Chaldaica dialecto monet celeb. Michaelis in ſupra laudata Diſſertatione von der Syr. Spr. S. 41. —

** V. Michaelis ibid. §. 12. 13.

§. 98.

Facile intelligitur, verſiones, quae ex hebraico textu concinnatae non ſunt, ſed ex verſione alia, textum hebraeum proprie illuſtrare non poſſe. At, vel eiusmodi quae ſunt, vſum habere poſſunt, ſi verſionem litteralem vertunt ad ſenſum, quod in Arabicis e. g. Iobi et Pſalmorum verſionibus e Syriaco ductis vſuuenit; vti ex aduerſo verſiones ex hebraeo factae perſaepe nullius vſus exiſtunt, cum nempe (quod non raro ex vertendi ratione ipſa, alias ex diſſenſu verſionum

intelligitur) coniecturis indulgent, aut laxe nimium interpretantur, quod eſt in fonte.

§. 99.

Poſt Verſiones veniunt adpellandi ſcriptores antiqui, quorum lectio interpretem V. T. iuuare poteſt. In quibus nemo mirabitur adpellari a nobis Joſephum hiſtoricum, qui cum multa ex hebraeo Codice ſumſerit*, quae bene graece explicat, eaque ipſa, quae ex verſione graeca mutuatus eſt, planius enarret, plurima bonae frugis interpretem edocere poteſt.

* V. Or. Bibl. p. V. p. 221 — et p. VII. p. 189 —

§. 100.

Neque Eccleſiae doctores, qui hebraeum ſermonem ab antiquis Rabbinis edocti ſunt, Origenes, et cum primis Hieronymus, ſpernendi, quorum vſum omnes huius rei periti agnoſcunt.

§. 101.

Veniunt Scriptores Syriaci, quorum vtinam maiorem copiam haberemus!* Sed vel pauci illi, quorum Opera et fragmenta typis impreſſa extant, nempe Ephaem Syrus cum reliquiis, quas nobis Joh. Sim. Aſſeman-

mannus in Bibliotheca orientali et Actis martyrum orientalium adseruauit, plurimas maximasque vtilitates adferre possunt interpreti.

* V. Michaelis saepius laudata Dissert. p. 36 —

§. 102.

Arabica scripta non commemoro, quorum vsum ad interpretationem Vet. T. interpretes hodierni duce Schultensio * non modo verbis celebrant **, sed exemplis quoque confirmant.

* In Originibus Hebraeis.

** Joh. D. Michaelis Beurtheilung der Mittel, welche man anwendet, die ausgestorbene hebr. Sprache zu verstehen. Schellings Abhandl. von dem Gebrauche der Arabischen Spr. zu einer gründlicheren Einsicht in die Hebr. Stuttg. 1771.

§. 103.

Dolendum, quod in etymologia nimium haeserint, qui hebraica Arabicis primi illustrarunt, quem morbum Schultensii Jobus * cum primis prodit; quod eo magis mirari subit, quo manifestius est ex consuetudine propemodum omnium linquarum, etymologicos vocum significatus omnium minime notos vsitatosque esse. **

* Pro-

* Prodiit cum obſeruationibus crit. atque exeget. Vogelii Halae Magdeburg. 1773 et 74.

** V. Sebaldi Rauii oratio de iudicio in philologia orientali regundo.

§. 104.

Non praetereunda denique Rabbinica ſcripta, de quibus, quoniam alio loco denuo dicetur, hic breuiter monemus, non modo ex libris Iudaeorum antiquis, quales Talmudici, quorum linqua purior, verum etiam ex recentiorum quorumdam Rabbinorum Commentariis, e. g. Kimhii, Abeneſrae, Jarchii, Abravanelis*, qui linquarum haud vulgari notitia polluere, proficere interpretem poſſe. Quo tamen loco denuo in memoriam reuocandum, quod de Chaldaica dialecto Cel. Michaelis erudite obſeruauit.**

* V. de his et aliis nonnullis Iudaic. interpretibus Richard Simon Hiſt. Crit. Vet. Teſt. Lib. III. Cap. VI., cui iungi poteſt Cap. VII., vbi breuiter linquae Rabbinicae recentioris indoles explicatur.

** Loco ſupra (§. 97.) excitato.

§. 105.

Generatim pronunciari poteſt, hoc totum genus, quod in comparatione dialectorum verſatur, non ſummam certitudinem effi-

efficere, propter inconſtantiam linquarum, quae tempore, inſtitutis et moribus mutantur.

§. 106.

Et quanquam ex iis, quae adhuc diximus, ſatis intelligi poteſt, lexicorum, quae habemus, hebraei ſermonis in multis ſubleſtam fidem eſſe; iuuerit tamen hoc tirones conceptis verbis monere, ne explicatus verborum, quos in hiſce libris repererint, irrefragabiles putent. *

* Supplementa ad Lexica hebraica, quae vulgare coepit Eruditiſſimus Vir Michaelis, argumento eſſe poſſunt, quam parum tutum ſit lexicis vulgaribus fidere.

CAPUT IV.

De reperiendo uſu loquendi Vet. Teſt. per ſubſidia quaedam alia.

§. 107.

Linquarum ſcientia procul dubio interpretem in multis egregie iuuare poteſt, vti adhuc vidimus; non omnia tamen ex linquis peti poſſe, id vnum plus ſatis euincit, quod multoties turpiter hallucinati ſint, qui-

quibus linquarum ignorantia obiici minime poterat. Itaque de aliis praeterea ſubſidiis videndum.

§. 108.

Et primum quidem profuerit peculiare ſtili genus animaduertere, quod in libris hebraeis, et praeſertim in fragmentis illis antiquiſſimis, quibus vſus fuiſſe Moſes videtur, regnat, in quibus vel Ἱερογλυφικα [a], vel manifeſta certe primae humani generis infantiae indicia [b] viri quidam eruditi ſibi detegere ſunt viſi. Qua quidem in re, licet quaedam vltra iuſtos limites adduxerint, ingenioſi magis, quam veri interpretes, illud tamen multo certiſſimum, et in fragmentis illis, et in omni Codice hebraeo loquendi genus, ſingulare prorſus, vſurpari, in eo poſitum, quod imaginibus abſtractorum conceptuum loco vtatur, ſenſuum vbique rationem habeat, pingatque res potius, quam enarret. [c]

a V. Repertorium für B. u. M. L. p. V. p. 158 —

b V. ibid. p. IV. p. 177 —

c Exempla ſuppeditat Creationis, primorum Parentum, Henochi, Eliae, Bilcami, et ex parte Simſonis quoque hiſtoria.

§. 109.

§. 109.

Adtendendum porro ſtili poetici a proſaico diſcrimen, cuius diſcriminis neglectus plurimos maximosque errores peperit, qui vitari nullo negotio poterant, ſi, quid ingenio poetico, quid hiſtoriae rebusque tribuendum, probe ſemper animaduertiſſent interpretes.

§. 110.

Verſabimur vero in hoc genere eo felicius, quo diſtinctius ſtili poetici, ab hebraeis Poetis vſurpati, indolem peruiderimus, vt praeter vulgaria de peregrini ſermonis vſu, de vocum anomaliis, de particulis orationi metricae propriis, quae vocibus in fine accedunt, originem imaginum poeticarum *, atque etiam mythologiam **, ſi quam habuit hebraea Poeſis, teneamus.

* V. Lowth de Poeſi S. Hebr. prael. V. et ſeqq. Egregia quoque multa ſuppeditabit Herder vom Geiſt der Ebräiſchen Poeſie.

** V. epimetron praelectioni Lowthianae IX. in edit. Goetting. ſubiectum.

§. 111.

Et illud obſeruaſſe non poenitebit, eſſe quaedam in poematis hebraeis *dramatica*, qua-

qualia non in hymnis ſolum alternis choris decantatis *, ſed in aliis quoque, maxime Pſalmis, occurrunt **, cuius rei ignorantia valde contortas explicationes peperit.

* V. Lowth prael. XIX.

** Ibid. edit. Goetting. not. 111. et 121. vbi cautela adiicitur, ne dramatica fingamus, quae nulla ſunt.

§. 112.

Peculiarem mentionem meretur ſtilus Propheticus, in quo ſunt quaedam praeter poetica, quae negotium faceſſere poſſunt; quale eſt, quod de duplici Vaticiniorum quorumdam ſenſu inſedit praeſtantiſſimis interpretibus (§. 20. not.), quod licet refutare in genere non audeamus, videtur nobis tamen in ſingulis locis non ſatis certum, propterea quod nullum plerumque apud Prophetas eius rei indicium ſit.

§. 113.

Non minor difficultas in eo eſt, vt, quae in propheticis ſuperiora, quae remotiora tempora ſpectent, ſat certo conſtituatur. In quo eo pronius errare eſt, quo ſublimiori non raro dictionis colore res magnitudine non valde mirandas adumbrant prophetae, vt niſi ex certioribus Meſſaianorum

tem-

temporum characteribus pronuncies, de Religione Chriſtiana, Meſſiaque multa interpretetere, quae de rebus Iudaeorum, hominibusque huius nationis vnice intelligenda erant.

§. 114.

Neque eo vno argumento locum quemdam Propheticum ad ſuperiora tempora referendum recte negaueris, quod hiſtoria nihil ſuppeditet, in quo exitus prophetiae adpareat. Nam quae euenta in animo habere potuerit Vates ſacer, ex hiſtoriae reliquiis, quas hodie habemus, ſat tuto definiri nequit.

§. 115.

Atque etiam poetica a propheticis probe diſcriminanda erunt, ne veſtitum oraculi pro oraculo ipſo habeas, inepteque poetica ad hiſtoriam adcommodes, quod contigit non paucis, qui ad interpretationem librorum Propheticorum ſine lectione profana acceſſere.

§. 116.

Diſtinquendi porro *loci* veluti *communes*, quos tractant Prophetae, dum de rebus laetis et triſtibus nunciant; vbi imaginibus

bus vtuntur multum frequentatis, quarum ſi peculiarem interpretationem eſſe putes, multum fallare. *

* Longius progreditur doctiſſimus Eichhornius (Einleitung ins A. T. §. 515.) cuius opinio adcuratiori examine digna eſt.

§. 117.

Denique limites Vaticiniorum recte conſtituendi, ne, ſi vulgarem capitum diſtributionem ſequare, diuerſa oracula, permiſceas eaque ad hiſtoriam adcommodando non modo vane te torqueas, ſed hiſtoriam quoque oraculorumque ſenſum peruertas. *

* V. Lowth edit. Goetting. p. 424. 587.

§. 118.

Venit iam egregium praeter linquas ſubſidium *parallelliſmus* poeticus, qui late in ſcriptis V. T. dominatur *, cuiusque vſus in eo eſt poſitus, vt quod vno membro obſcurius dicitur, illuſtretur ex altero, ſeu ſynonymo, ſeu contrarie oppoſito; quanquam cautio eſt quoad primum, ne prorſus ſynonyma putes, quae talia ſaepe non ſunt, neue ad voces ſingulas parallelliſmum extendas.

* V. Lowth prael. XIX. cum epimetro.

§. 119.

In genuinam interpretationis viam nos deducet non raro, si adtenderimus, num ea, quae historiae speciem referunt, reapse historica sint, an in *απολογοις* habenda; cuius generis non pauca eruditis quibusdam Viris * in Codice nostro occurrere sunt visa; quanquam vellemus certiora huius rei argumenta adtuliissent.

* V. Rich. Simon Hist. Crit. V. T. Lib. I. Cap. VIII. Lowth de Poesi S. Hebr. p. 662. edit. Goetting. Michaelis Anmerkung. zum Propheten Jonas. Jerusalems Geschichte vom Falle in den Betrachtungen über die vornehmsten Wahrheiten der Religion.

§. 120.

Eodemque modo profuerit tenere vbique consilium Sacrorum Scriptorum, modumque, quo singula in eorum scriptis considerandasunt *, ne his ignoratis, vel male explicatis, non modo a vera interpretatione deficiamus, sed difficultates quoque fingamus, quae nullae sunt; quod accidit auctori Fragmentorum, qui cum omnia in libris S. ad *Reuelationem Religionemque* referret, falsissime de libris ipsis pronunciauit. **

* Inseruient huc (Eichhorns Einl. ins A. T. Michaelis Einl. in die göttl. Schrift. des A. B., cuius tamen necdum nisi particulam habemus. Die

Schrift.

Schriften des A. B. nach ihrem Inhalt und Zweck. Von D. Wilh. Fr. Hufnagel, Erlang. 1784.

** V. Uebrige noch ungedruckte Werke des Wolfenbüttliſchen Fragmentiſten. 1787.

§. 121.

Egregie interpretem iu multis iuuabunt hiſtorica ſubſidia, et rituum morumque, ingeniique humani adcurata notitia *, qua deſtituti ingenioſi quidam viri in alienam partem interpretati ſunt non pauca, quae aliquando riſui quoque expoſuere, nihil minus quam ridenda. ** Neque minus peccatum eſt hac in re ab aliis, qui ignorantia morum rituumque antiquorum ad myſticas rationes multa retulere, quae planiores explicatus habere poterant.

* Suppeditabunt hanc praeter Itineraria Hadriani Relandi antiquitates, quas recenſuit auxitque Vogelius. Hal. 1769. Wachneri Antiquitates Ebraeorum Goetting. 1743. Carpzovii Apparatus Hiſtorico-Criticus antiquitatum S. Codicis Frf. et Lipſ. 1748. Spenceri de legibus Hebraeorum ritualibus earumque rationibus libri quatuor. Cantabrig. 1727, et Tubing. 1732. Paulſens Regierung der Morgenländer. Altona u. Flensb. 1775. Michaelis Moſaiſches Recht. Frankf. am Mayn 1770—75. 1ſter Thl. vermehrt Ebend. 1775. Ebendeſſ. Abhandlung von den Ehegeſetzen Moſis zw. Auflage, Frf.

Frf. u. Leipz. 1786. Fabers Archaeologie der Hebr 1773. Fleury Moeurs des Israelits. Collecta multa dabit Vgolini Thesaurus Antiquitatum S.

** V. Lettres de quelques Juifs Portugais, Allemands et Polonois à Mr. de Voltaire. à Paris 1781. Facient huc quoque Heß Geschichte der Patriarchen. Tübingen 1785. Ebendesselb. Geschichte der Israeliten. Zürich 1776—. Toblers Anmerkungen zur Ehre der Bibel. Halle 1777—85. u. Niemeyers Charakteristik der Bibel. Halle 1780—. Leg etiam merentur quae Eichhornius in Fragmenta Guelferbytana docte disputat in seiner allgemeinen Bibliothek der Bibl. Litt. Vol. I. p. 3 et seqq. 261. et seqq.

§. 122.

Non minorem vtilitatem adferet interpreti Geographia [a], Chronologia [b], Historia naturalis [c], Medicina [d], ponderum et mensurarum [e], rei oeconomicae [f], Matheseos [g], Musices [h] et Critices sacrae [i], historiaeque exterae [k] notitia, sine qua plurimis in locis adhaerescet, et a vera interpretatione aberrabit, quod exemplis innumeris, si necessum foret, comprobari posset.

a Strabonis libri XVII. γεωγραφικων, Christoph, Cellarii Notitia orbis antiqui, quam auxit Jo. Conr. Schwarz. Lipf. 1731 et 32. Relandi Palaestina caet. Traj. Batav. 1714. Sam. Bocharti Geographia sacra seu Phaleg et Canaan. Lugd. 1692. Cui iungendum Jo. Dav. Michaelis Spici-

le-

legium Geographiae Hebraeorum exterae. Goetting. 1768 et 80. Huic denuo iungendae Jo. Reinholdi Forſteri epiſtolae ad Jo. D. Michaelis ibid. 1772. Eduard Wells hiſtoriſche Geographie des A. u. N. Teſt. a. d. Engl. überſetzt von Panzer. Nürnb. 1765. Handbuch der alten Erdbeſchr. zum Gebrauch der Danvilliſchen Landkarten. ibid. 1785 et 86. Cum Atlante Danvilliano ibid. 1784. Denique Büſchings neue Erdbeſchreibung.

b Frid. Spanhemii Introduct. ad Chronologiam et hiſt. S. Lugd. Batav. 1683. Dionyſii Petavii de doctrina temporum. Antwerp. 1703. et Rationarium temporum. Lugd. Batav. 1710. Jac. Vſſerii Annales V. et N. Teſt. Genev. 1722. Jo. Georgii Franckii nouum ſyſtema Chronolog. fundamentalis. Goetting. 1778. Inter peculiares diſſertationes huc facient Michaelis quaedam Diſſert. in Commentationibus Societati Goettingenſi oblatis. Bremae 1774, et 1769. Eiusd. Schreiben an Herrn Prof. Schlözer die Zeitrechnung von der Sündfluth an bis auf Salomo betreffend, im Götting. Magazin 1780. Eiusd. Verſuch einer Erklärung der 70 Jahrwocheu Daniels: Göttiug 1771. Item Epiſtolae de LXX. hebdomadibus ad Jo. Pringle. Lond. 1773. Vid. etiam Or. Bibl. P. VI. p. 71. P. X. p. 1. et 27. Koppii programma, in quo Israelitas non 215 ſed 430. annos in Ægypto commoratos eſſe efficitur. Goetting. 1777.

c Bocharti Hierozoicon ſeu de animalibus S. S. Lugd. 1712. Olai Celſi Hierobotanicon ſeu de plantis S. S. Vpſal. 1745 et 47. M. Sam. Gottl. Donats Auszug aus Scheuchzers Phyſika Sacra 1777—79. (Vid. Or. Bibl. P, XXI. p. 58. et ſeqq.)

Sam. Oedmanns vermischte Sammlungen aus der Naturkunde zur Erkl. der heil. Schrift. Rostock u. Leipz. 1786. praeter Itineraria et Joh. D. Michaelis Fragen an eine Gesellsch. gelehrt. Männer. Frf. am Mayn 1762.

d Richard Mead Medica Sacra. Lausan. 1760. Schilling de Lepra. Lugd. Batav. 1778. Michaelis oben angeführte Fragen et Itineraria.

e Car. Arbuthnothii tabulae antiquorum numorum, mensurarum et ponderum variis dissert. explicatae ex Angl. in Lat. conuersae opera Kœnigii Traj. ad Rhen. 1756. Jo. Casp. Eisenschmidii de Ponderibus et Mensuris edit. alt. auct. Argent. 1737. Michaelis Commentatio de siclo ante exilium Babylonicum in Commentariis Societ. Reg. Scient. Goetting. Tom. II.

f Paulsen von dem Ackerbau der Morgenländer. Helmst. 1748. Michaelis Abhandlung von der Schafzucht der Morgenl. in seinen vermischten Schriften. Frankf. 1766. Eiusd. von der Pferdezucht in Palästina ibid. eodemque anno. Item Fragen an eine Gesellsch. caet. et Itineraria.

g Wideburgi Mathesis bibl. Jenae 1730. et Joh. Jak. Schmids biblischer Mathematikus. Züllichau 1749. Multa adhuc in hoc genere desiderantur.

h Pfeiffer über die Musik der alten Hebr. Erl. 1779.

i Loca difficillima in Veteris Test. Scriptis occurrunt, quae non nisi crisi adhibita explicari possunt. Vid. de Rossi Dissert. prael. Tom. IV. Var. Lect. p. XLV. et seqq.

a Herodot. Diodor. Sic. Fl. Joſephi Antiquitates. Hunphrey Prideaux A. u. N. Teſt. mit der Juden und benachbarten Völkerhiſtorie. Dresden 1721. Anglice edit. vndec. London 1749. Jac. Perizonii Origines Babylonicae et Aegyptiacae edit. alt. Traj. ad Rhen. 1736. Jo. Gottl. Kalinski Vaticinia Chabacuci et Nachumi caet. obſervationibus illuſtrata Vratislav. 1748.

§. 123.

Atque ita nobis deſcripta eſt ratio inueſtigandi vſum loquendi Vet. Teſt.; quo de argumento non omnia, ſed ea ferme adtulimus, quae potiora videbantur, omiſſis etiam, de quibus alibi (Cap. II.) diximus. Videndum iam de libris N. T.

CAPUT V.

De reperiendo vſu loquendi N. T.

§. 124.

Scriptores N. T. graece, quod alibi videbimus, plerique omnes ſcripſerunt. De eo ſolum quaeſtio ſupereſt, pure ne graeco, an mixto, ideſt ex parte hebraico dicendi genere vſi ſint; quo non conſtituto recte de vſu loquendi inueſtigando praecipi nullatenus poteſt.

§. 125.

§. 125.

Et purum quidem dicendi genus duce Pfochenio olim non pauci, ex Proteſtantibus maxime, defendebant, infirmis ducti rationibus. * Hodie omnis illa diſputatio deferbuit, vt aegre reperias, qui mixtum eſſe orationis genus, quo vtuntur ſcriptores N. T., neget.

* V. Richard Simon hiſt. Crit. Text. N. T. Cap. XXVI— Michaelis Einl. in dir göttl. Schrift. des N. B. §. 19.

§. 126.

Reuera, qui expenderit in Palaeſtina natos educatosque Scriptores S., omni ad haec inſtitutione liberali, Paullo forſan et Luca exceptis, inde ab incunabulis deſtitutos fuiſſe, quique etiam ex ſcriptis ipſis pronunciauerit, mirari ſatis non poterit, fuiſſe vmquam, qui id in contentionem adducerent.

§. 127.

Quodſi itaque negari nequit, ſtilum Scriptorum N. T. ex parte graecum, ex parte hebraeum eſſe *, ſequitur, vt conſuetudinem vtramque, graecam nimirum et hebraeam tenere debeat, qui in interpre-

pretatione librorum N. T. recte verſari velit.

* Diſputationes de ſtilo *Helleniſtico*, dialecto item *Alexandrina* et *Macedonica* partim de verbo ſunt, partim incertis rationibus nixae. V. Richard Simon Hiſt. Crit. T. N. T. Cap. XXVII. et XXVIII. Erneſti Interp. N. T. P. I. S. II. Cap. III. §. 16. Dialectum Alexand. defendit Michaelis Einl. §. 22.

§. 128.

Adiumento itaque primum interpreti erunt praeter Scripta S. Veteris T. Scripta alia, de quibus mentionem ſupra (Cap. III.) iniecimus, inprimisque Syriaca, eo quod Sermo, qui patrius Seruatori Apoſtolisque erat, a Syriaco non admodum differret.

§. 129.

Vſum dein egregium habeburt Verſiones graecae Veteris T. LXX., Aquilae, Symmachi et Theodotionis, e quibus interpres non raro magis, quam ex Hebraeis Syriacisque ſcriptis proficiet. Iam enim graeca librorum N. T. contendendo cum graecis Verſionum reperiet hebraica [a], quod eſt aliquando difficile; iam hebraica tenens quoad verba, ſed ſenſum ignorans, hunc non in Symmachi verſione ſolum, verum in ipſis LXX. quoque (§. 96.) non raro deprehen-

det,

det, maxime ſi loca ſimilia plura inueſtigaverit [b]; vt quod vno loco ad verbum graece redditur, altero ad ſenſum redditum inueniat. [c]

[a] Facient huc Concordantiae Trommii. Amſt. 1718. et Bielii Nouus Theſaurus Philologicus. Hagae Comitum 1779. cum Schleusneri Spicilegio. Lipſ. 1784 et 86.

[b] Buxtorfii Concordantiae. Baſil. 1632.

[c] Praeclare hac omni in re inſeruient Thomae Gatakeri Diſſert. de Noui Inſtrumenti Stilo. Londini 1648. Joh. Vorſtii Commentarius de hebraiſmis N.T. curante Jo. Fr. Fiſchero. Lipſ. 1778. Similiaque aliorum virorum erudit. opuſcula.

§. 130.

Cautela opus in vtroque genere; primum ne hebraica inueſtigans, ex iisque de ſenſu graecorum ſtatuens vulgaribus vocum hebraicarum explicationibus nimium deferat (§. 106.), neue praecipitanter ſumat, eas Codicis hebraei lectiones olim fuiſſe, quae hodie ſunt; deinde ne Verſiones vbique adcuratas eſſe putet, quae ſaepe aut ignorantia aut licentia peccant (§. 98.)

[*] De hoc omni argumento praeclare meritus eſt Erneſti Inſtitut. Interp. N.T. P.II. C. VII.

§. 131.

§. 131.

Atque vt de graeca etiam conſuetudine dicendi ſtatuamus, hanc procul dubio interpres N. T. non tam ex optimis dicendi magiſtris, quam ex auctoribus ſynchronis eodem circiter ſtilo, id eſt tenui vſis, ſimilique in argumento, hiſtorico nimirum didacticoque, verſatis rectiſſime diſcet.

§. 132.

Itaque non abs re ex profanis Polybium, Diodorum Siculum, et Artemidorum commendat Erneſti, quibus non immerito Herodotum, Thucydidemque adiungemus, in quorum Scriptis non pauca inuenire eſt, quae explicando ſtilo N. T. vniuerſim, nominatimque Paullinae orationi enodandae (de Thucydide dicimus) praeclare inſeruiunt; quanquam apud Xenophontem quoque Raphelius, et apud hunc et alios Wetſtenius et Kypkius non pauca huius generis reperere.

* Ex Diodoro Siculo Munthius Obſeruat. Philolog. Hafniae et Lipſ. 1755. ex Polybio et Arriano (de Xenophonte mox diximus) Raphelius Annotatt. Philolog. Hamb. 1709 et 1715. ex Thucydide denique Bauerus Philologia Thucydideo Paullina. Halae 1773. collegere, quae dictionem N. T. illuſtrare videbantur. Recentiſſime Vir eruditus Bardili erudito ſuo tentamine Goetting. 1786. Spem nobis fecit ſimilis opuſculi ex Platone.

§. 133.

§. 133.

Non praetereunda hoc loco Josephi Philonisque Scripta. * Et Philonis quidem oratio, magnam partem Platonica, licet caetera a stilo sacro admodum diffideat, Pauli tamen ideas non raro illustrat. Josephus vero Scriptor Apostolis aequalis, in eadem patria Religioneque educatus, ipsoque argumento ad Scriptores S. propius accedens, quam scriptores exteri plus plerumque momenti habebit, vbi ex ejus scriptis exempla suppetent, quae tamen non sunt nimium frequentia, eoquod exteros stilo imitetur.

* Observationes in N. T. ex Josepho Krebsius. Lips. 1755. ex Philone Loesnerus ibid. 1777. dedere.

§. 134.

Venimus ad Patres, ex quibus antiquioribus maxime, quam multa haurire possit interpres in rem suam praeclara, et exemplis declaratum est *, et ratione doceri potest. Quae enim a Scriptoribus Sacris praeter loquendi consuetudinem omnem dicta sunt, qualia sane occurrunt non pauca, vnde rectius discemus, atque ex Scriptoribus Christianis, qui quidem, si priorum seculorum sunt, multa e disciplina Apostolica tenere, multa etiam, quae ad instituta ri-

ritusque pertinebant, oculis ipſis quotidianaque conſuetudine vſurpare frequentareque et poterant, et debebant.

* Suiceri Theſaurus Eccleſiaſticus e Patribus graecis Amſtel. emend. et auct. 1728.

§. 135.

Non longius, atque par eſt, haec extendenda; vti enim temerarium fuerit antiquorum Patrum explicationes ſine diſcrimine repudiare, ita non minus periculoſum omnes promiſcue probare. Neque enim ſi fluxiſſe poteſt interpretatio ex inſtitutione Apoſtolorum, ideo fluxit, ritusque valde antiqui eſſe poſſunt, quin ſint ab Apoſtolis conſtituti. Itaque non eſt hoc vno nomine irrefragabilis expoſitio, quod ſit peruetuſta, ſed argumentis praeterea declarandum erit, cur non credatur noue excogitata, qualia quidem non raro argumentum materiesque ipſa, alias contextus, analogia doctrinae, ſtilique Apoſtolici ratio ſufficient.

§. 136.

Atque ſic limitata re omni gloſſas quoque veteres commendamus, in quibus ſunt non pauca ex antiquiſſimis N. T. interpretibus collecta. Quanquam gloſſae alium praeterea vſum, eumque potiorem habent,

qui

qui eſt, vt earum ope vſus loquendi generatim conſtituatur, quem quidem in finem magno cum fructu interpres Heſychii, Suidae Phauorini caet. * Gloſſas excutiet, dum mentem aduertat, gloſſographos hoſce in vocum dictionumque explicatu certa non niſi loca plerumque ſpectare, (quod aliquando conceptis verbis ipſi monent, alias ex forma vocabuli ſubiectaque enarratione intelligi poteſt) multa deinde ad arbitrium, atque ex contextu ferme interpretari.

* De Heſychii, Suidae, Phauorini et Etymologici magni gloſſis Sacris (Veteris nimirum et N. T.) non ita pridem bene meritus eſt Jo. Chr. Erneſti, qui easdem Lipſiae, 1785, et 1786. vulgauit.

§. 137.

Atquae haec ſunt, quae de graecis hebraicisque in N. T. obuiis dicenda videbantur, quo referenda erunt, quae de *Chaldaiſmis, Syriaſmis, Rabbiniſmis et Arabiſmis* viri docti peculiari loco monent *, quae quidem genus diuerſum noſtra opinione nequaquam conſtituunt, niſi quod ſermo Syro-Chaldaicus Apoſtolorum iam ex hac illaue dialecto illuſtrandus venit, propterea quod monumenta Syro Chadaicoque ſermone perſcripta nimium pauca habeamus.

* V. Michaelis Einl. §. 20.

§. 138.

§. 138.

Perſiſmos qui commemorant, vel de paucis quibusdam vocibus intelligunt *αγγαρευειν, γαζα* caet., vel de Theologiae Perſicae formulis *; primum vt recte animadvertit celeb. Michaelis, Stili N. T. proprium non eſt. De altero nimis incertum videtur, quam vt Perſicae potiſſimum originis eſſe, quae, apud Joannem cum primis, veniunt expreſſiones, ſat tuto ſtatui poſſit.

* V. Herders Erläuterungen zum N. T. aus einer neu eröfneten Morgenländiſchen Quelle. Riga 1775.

§. 139.

Latiniſmos, et Paulli *Ciliciſmos* quod adtinet, vtrumque ſatis expeditum eſt. Latinam certe conſuetudinem notiſſima exempla Κεντυριων, λεγεων, κολονια, πραιτωριον, κουςωδια caet. perſpicue loquuntur, quanquam ea ferme ſunt vocum ſingularum, rariusque occurrunt, quae ſunt phraſium. * Ciliciſmos, ſi quaedam propria habuit Cilicus ſermo, Paulli orationi adhaereſcere, nemo mirabitur; neque dubium videtur, prouinciae conſuetudinem in nonnullis ſingularem fuiſſe. Hieronymi quidem teſtimonium ** aegre contemni poteſt. Caeterum commodum accidit, quod neutrum, neque latiniſmi neque Ciliciſmi, negotium in exponendo faceſſant.

La-

Latinam enim consuetudinem, quae mediocrem adtentionem haud effugiet, Scriptores Romani perspicue declarant, et quae sunt Paulli propria, ea non ex contextu modo, verum ex parallellismo quoque plerumque explicantur.

* V. Michaelis Einleit. §. 25.

** Ad Algasiam Quaest. 10. Tom. IV. pag. 204 edit. Paris.

§. 140.

Diximus adhuc de subsidiis, quae petuntur ex linquis, praeter quae, vti de libris Vet. T. fassi sumus, dantur alia, quibus interpres adiuuari potest. Itaque et isthic profuerit ritus institutaque tenere eaque non Iudaeorum solum, verum exterarum quoque nationum inprimisque Romanorum et Graecorum. Et horum quidem antiquitates vnde discantur, non est obscurum, illorum autem ex libris sacris, Josephi Philonisque Scriptis, atque etiam Scriptoribus Talmudicis peti, magnorum interpretum exemplis confirmatum est.

§. 141.

Et quoniam Josephi Philonisque libros satis plerique norunt, de libris Talmudicis breuiter tironem monebimus, eos duabus

sum-

ſummis partibus, *Miſchna* nimirum ſeu textu, et *Gemara* id eſt expoſitione, abſolui. Eſt autem Gemara duplex vna Hieroſolymitana, Babylonica altera, vnde *Talmud* duplex Hieroſolymit. et Babylon. diſtinquitur. Vulgo exiſtimant Miſchna (textum) ſecundo Seculo a Rabbi Jehuda Hakkadoſch congeſtum, Gemaram (expoſitionem) Hierofolymit. quarto, Babylonicam ſexto demum ſeculo ad finem perductam eſſe. Vtroque, tam Miſchna nimirum, quam Gemara, traditiones antiquae, quas *Rabbanitae*, ſecta *Karaitis* oppoſita, defendunt, continentur, in quibus ſunt oppido multa mores inſtitutaque Iudaeorum antiqua, profana ſacraque, egregie illuſtrantia.

§. 142.

Ex hiſce Scriptis Talmudicis Lightfootus [a], Schoetgenius [b], omniumque diligentiſſime Wetſtenius [c], vt alios taceam, hauſere, nemoque eſt, qui illorum operam grata mente non agnoſcat, niſi quod alicubi, quod in huius modi vſu venire ſolet, nimium remotas ſimilitudines conſectantur multaque ex Talmudicis explicant, quae alias longe expoſitiones habent.

a In horis Hebraicis et Talmudicis. Separatim Lipſ. 1679 et 84.

b In horis Hebr. et Talmud. in vniuerſum N. T. Dresdae 1733. Tom. II. ibid. 1742.

c In Commentario edit. N. T. Amſtel. 1751. 52. adiecto.

§. 143.

Praeter hiſtoriam morum et inſtitutorum, hiſtoriam *factorum* quoque [a], geographiae [b] deinde, Chronologiae [c], rei oeconomicae [d], hiſtoriae naturalis [e], et medicinae [f], ponderum item et menſurarum [g] cognitionem, criticum denique iudicium, quo veras lectiones a falſis diſcernat [h], interpreti in promtu eſſe debere, concedet facile, qui hac in re aliquid videt. Neque enim vlla pars librorum ſacrorum eſt, quae vnius alteriusue generis diſquiſitiones non poſtulet, Euangelicaque hiſtoria et Acta Apoſt. ſingulorum propemodum generum quaeſtionibus abundant.

a Inprimis huc facient Joſephi Antiquitates et libri de bello Judaico.

b Bernardi Lamy Apparatus Geographicus. Pariſ. 1699. Lightfooti diſquiſitiones Chorographicae in horis hebr. et Thalmud. praeter ſupra (§. 120. not. *a*) laudata.

c Bernardi Lamy Apparatus Chronologicus. Pariſ. 1699. Jo. Pearſonii annales Paulini in operibus poſth. Lond. 1688. praeter ſupra (ibid. not. *b*) laudata.

d V. §. 120. not. *f*

e V. ibid. not. *e*

f Richteri diſſertationes quatuor medicae. Goetting. 1775. V. ſupra ibid. not. *d*

g V. Supra ibid. not. *e*

h Grauiſſimas difficultates, vti ſupra (§. eodem not. *i*) diximus et in N. T. libris aliquando criſis diſſoluit.

§. 144.

Denique quod ſupra (§. 120.) monuimus, perſpectum eſſe debere interpreti vbique conſilium ſcopumque Auctorum ſacrorum, et iſthic inculcamus *, habetque hoc monitum vſum minime vulgarem cum in aliis Noui T. libris, tum vel maxime in ſcriptis Johannis **, quae recte interpretari, noſtra quidem opinione, nemo poterit, qui, contra quos homines ſcripſerit, non identidem in memoriam reuocauerit.

* Vſui hunc in finem erit Michaelis Einl. in die göttl. Schr. des N. B. praeter ſcripta ibi excitata.

** Praeclariſſime haec illuſtrat Zweck der Evangel. Geſchichte und der Briefe Johannis von D. Gottl. Chriſt. Storr. Tübing. 1786.

CAPUT VI.

De Noui Veterisque T. loquendi vſu per auctoritatem conſtituendo.

§. 145.

Poſt ea, quae de vſu loquendi Sacro inueſtigando adhuc diſputauimus, reſtat quaeſtio apud Catholicos potiſſimum definienda, an aliqua, et quae Vulgatae Verſionis, Patrumque in ſenſu conſtituendo ſit auctoritas?

§. 146.

De Vulgata quaeſtionem peperit Tridentinorum Patrum decretum *, quo *authenticam* Vulgatam declarant, atque in *publicis lectionibus, diſputationibus, praedicationibus et expoſitionibus* vnice laudandam, quod a non paucis translatum ad ipſam Verſionis certam inerrántemque auctoritatem.

* Seſſ. IV.

§. 147.

Ea ſane poſſet eſſe explicatio vocis *authenticus*. Sed rectius multo ex hiſtoria quaeſtionis ipſius, in coetu Tridentino agitatae de vocabuli ſignificatu exiſtimatum fuiſ-

fuiſſet *, ex qua luculentum eſt, de eo Tridentino confeſſui nequaquam in mentem veniſſe; quod vt vt per alia incertum foret, vnius Cardinalis a S. Cruce teſtimonio ** extra controuerſiam omnem poneretur.

* V. Historia del Concilio Trident. Lib. II.

** Prouocat ad illud Vega (Lib. XV. de Iustificat. Cap. IX.) cum Caluino Vulgatam Catholicosque ridenti respondet: Ne *fruſtra labores in oſtendendis vitiis vulgatae editionis. Synodus non adprobauit menda, quae linquarum periti et in ſacris litteris mediocriter verſati in ea deprehendunt. — In honorem vetuſtatis, et honoris, quem ei iam a multis ſeculis detulerant concilia latina, — et vt certo ſcirent fideles, quod et veriſſimum eſt, nullum inde haberi poſſe pernicioſum errorem, — et ad coercendam etiam confuſionem, quam affert multitudo translationum, et temperandam licentiam nimiam edendi ſemper nouas translationes, ſapienter ſtatuit, vt iſta vteremur: — atque eatenus voluit authenticam haberi, vt certum omnibus eſſet, nullo eam defoedatam errore, ex quo pernicioſum aliquod dogma in fide et moribus colligi poſſet. — Et hanc fuiſſe mentem ſynodi, nec quidquam amplius ſtatuere voluiſſe, ex verbis ipſis — potes colligere. — Et ne dubites de his, poſſum tibi allegare pro his ampliſſimum et obſeruandiſſimum dominum ſanctae Crucis Cardinalem, — qui illi ſeſſioni et aliis omnibus praefuit, et pridie quam illud decretum firmaretur et poſtea, non, opinor, ſemel mihi teſtatus eſt, nihil amplius voluiſſe Patres firmare.* V. etiam Richard Simon hiſt. Crit. V. T. lib. II. Cap. XIV.

§. 148.

Et profecto vulgatae Verſionis quis auctor ſit, obſcura quaeſtio, et quanquam ſeculo XVI et antea pluribus inſedit opinio, *inſpiratum* (hoc enim vocabulo vtebantur) Scriptorem fuiſſe, erant alii, qui de re adeo incerta perſuaſum nequaquam haberent. Neque inepte quaeſitum, vti deinceps videbimus, a Theologis quibusdam Concilii, quam Vulgatam dicerent, qui irrefragabilem eius putarent auctoritatem?

§. 149.

Quid quod vulgata Verſio, ſi recte rem accipimus, ne quidem verſio eſt, vtpote ex qua de ſenſu dictorum non magis pronunciari in plerisque omnibus poteſt, atque ex textu ipſo authentico. Eſt illa certe tam ſingulis vocibus particulisque addicta, vt, ſi latina intelligere velis, graeca hebraicaque identidem adire neceſſum habeas. Quo poſito, quis tam ineptus erit, vt, vbi de ſenſu quaeſtio incidit, Vulgatae auctoritatem obiiciat, quum Vulgatae ſenſus aeque aut magis incertus, quam graecus hebraicusque, ſit.

§. 150.

Atque ſic nouo argumento adparet, quam falſo ſenſerint, et quam longe etiam

a Tridentinorum Patrum mente aberrarint ii ex noſtris Theologi, qui in expoſitione ſacri Codicis ſingulos Vulgatae apices retinendos olim defendere.

§. 151.

De Patrum auctoritate vt dicamus, eiusdem Concilii praeceptum in decreto ſupra laudato extat, quo cauetur, ne quis audeat *contra vnanimem conſenſum Patrum* litteras ſ. interpretari, quod quidem praeceptum non minus et in alienos ſenſus detortum a Catholicis, et, quod pronum, a Proteſtantibus explosum fuit. Quaeſtionis in Concilio agitatae hiſtoriam tenere et iſthic oportebat *, quae vna meliora nostros edocere, et Proteſtantium accuſationes arcere ex parte poterat.

* V. Hiſtoria del Concilio Trident. ibid.

§. 152.

Sed in ipſo decreto ſunt, quae de mente Patrum dubitare non ſinunt, decretique aequitatem firmant. Et primum quidem non ſingulorum, quamuis plurium auctoritatem, ſed *vnanimem omnium conſenſum* repudiandum in exponendo negat Conſeſſus Trident.; quo quidem non nimium praecipi, is omnium optime ſciet, qui quanta primorum

Ec-

Ecclesiae Patrum interpretandi libertas fuerit, non ignorauerit, vt mirari subeat, fuisse, qui *seruilem* hoc decreto fieri exegesin contenderent.

§. 153.

Neque haec vna moderatio erat Patrum Tridentinorum, sed quum ecclesiam vniuersam non singulos homines iudicem sensus Scripturae in rebus *fidei morumque* constituerent, de Patribus nihil simile pronunciant, neque adiiciunt, quod pronum erat, *infallibilem* esse interpretationem, quae se Patrum consensu vnanimi tueri posset, sed coerceri *petulantia ingenia* volebant, neque adferri, quae tota retro antiquitas Catholica aliter existimasset *, quod quidem turbulento illo tempore passim fieri sibi persuadebant Catholici, maxime postquam de antiquitate tam arroganter pronunciassent noui coetus Theologi.

* Verba decreti sunt: *Ad coercenda petulantia ingenia decernit* (sacrosanctum Synodus) *vt nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sanctа mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra vnanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam S. interpretari audeat.*

§. 154.

§. 154.

Itaque de iis, quae ad quietem Eccleſiae ſpectarent, et ad moderationem ingeniorum, ſancit vnice decretum Tridentinum; et non tam *conſecrare* priſcorum Patrum expoſitiones, quam conſeruare Religionem praeſules in conſilio congregati volebant. Sane non poterant ignorare epiſcopi illi, quod etiam Theologi Concilii monebant, fuiſſe inde ab incunabulis Religionis hanc in eccleſia interpretandi libertatem, quam poſt Originem ii ipſi Patres vſurpabant, a quorum conſenſu deficere decretum vetat.

§. 155.

Quare, quemadmodum nemo Chriſtianus ſpreuerit, quod forte ex diſciplina Apoſtolica hauſerunt priſci (§. 134. 135.), ita velle nequibant Patres Tridentini vel in iis valere eorumdem auctoritatem, quae ex proprio ingenio adtulere; qualia quidem non pauca eſſe, nemo in hiſtoria interpretationum verſatus ignorat, inprimisque in commentariis, quibus Veteris Teſt. libros illuſtrant, vtpote quos explanare, paucis forte locis exceptis, neque Chriſto neque Apoſtolis propoſitum erat. *

* V. Richard Simon Hiſt. Crit. V. T. Lib. III. Cap. XII.

§. 156.

§. 156.

Atque ita explicata ratione vniuerſa reperiendi ſenſus per vſum loquendi, aut alia ſubſidia, quaedam capita ſeparato loco nobis tractanda videntur, in quibus momentum noſtra opinione non paruum poſitum eſt. Sunt autem praecipue tria: primum de tropis, alterum de emphaſibus, tertium de locis pugnantibus iudicandis et explicandis.

CAPUT VII.

De dictone tropica iudicanda et interpretanda.

§. 157.

Tam multa in Codice S. vtriusque Teſt. occurrunt tropica, tamque frequentes ſunt de tropicis, Noui Teſt. maxime, eorumque ſenſu, quae inter interpretes Theologosque agitantur, concertationes, vt hoc loco recte non explicato interpretem in quam plurimis adhaereſcere, expoſitionemque omnem ſacrarum litterarum dubiam incertamque reddi neceſſum ſit.

§. 158.

§. 158.

Et primo ſtatim loco videndum, quibus notis, quoque veluti criterio tropica a propriis diſcernantur. In quo multum errarunt, qui generali enunciato expediri poſſe rem omnem exiſtimarunt, vel hoc nimirum: *Non facile diſcedendum a proprietate ſignificationis*, vel altero paullo explicatiore, caetera non multum diuerſo: *Non ſine euidenti cauſſa aut neceſſitate proprietatem deſerendam.* Nam qui primum ſtatuunt, ii ſi aliquid omnino dicunt, neque verbis ludunt, refutantur iis, quae ſupra (Cap. II.), cum de tropicorum ortu quaereremus, adtulimus; et ſi vel maxime firmum eſſet, quod volunt, nihil dicerent, quo in iudicanda dictione tropica clarius videamus.

§. 159.

Qui, quod altero loco poſitum eſt, defendunt, ii primum non docent, quam *cauſſam euidentem*, quamue *neceſſitatem* dicant, vel ſi, quod Danhauerus fecit, cauſſam euidentem repugnantiam definiunt, quae ſit vel rerum vel factorum, exemplorum copia obruuntur. Non minus deinde vage atque ad vſum parum adcommodate praecipiunt, atque ii, qui non facile tropum agnoſcendum ſciſcunt.

§. 160.

§. 160.

Cum itaque generali praecepto difficultas, quae eſt in diſtinquendis propriis et tropicis aegre expediri poſſe videatur, peculiaria quaedam monita adferenda ſunt. Et in iis quidem quae in vita communi conſuetudineque humana verſantur, regulis nullis opus eſſe, vt tropice an proprie aliquid dicatur, intelligamus, experientia quotidiana docet. Neque mirum, quum in rebus eiusmodi, quid res ipſa, quid dictorum ſeries expoſcat, negotio nullo videamus.

§. 161.

Difficultas omnis in rebus abſtruſis, ab intelligentia noſtra remotis, vel qua demumcunque ex cauſſa obſcuris ineſt, vbi nempe, quid ipſi ſentire, ſtatuereque de re debeamus, non adparet. Atque hoc ex capite tam frequenter in Noui Teſt. libris dubii haeremus, quanquam in Propheticis quoque Veteris Teſt., maxime vbi hiſtoria nos deſerit, et in aliis quibusdam (§. 108.) non minorem difficultatem experimur.

§. 162.

Profuerit in hiſce primum dicendi characterem generalem ſpectaſſe, et in libris quidem Veteris Teſt. proſaica a poeticis pro-

propriaque fermonis orientalis, praefertim antiqui (§. 108.), a communibus difcriminaffe. Plura enim in poeticis tropice dici, quam in profaicis, in vulgus notum eft, et habet hoc fermo orientalis, vt imagines diligentius confectetur, licentiusque vfurpet, quod quidem cum primis adparere videtur in fragmentis illis antiquiffimis, ex quibus Mofem mutuatum effe verofimile eft. In oraculis Prophetarum diligenter adtendenda erunt, quae fupra, cum de ftilo prophetico ageremus, monuimus, ne, quae hiftorica funt, prophetica exiftimemus, vel ornatum poeticum, imaginesque in omni poefi prophetica frequentatas cum hiftoria mifceamus (§§. 112—116.)

§. 163.

In libris Noui Teft., perpaucis exceptis, in quibus eft Apocalypfis, pleraque omnia hiftorici didacticique argumenti funt, quod quidem vtrumque genus tropos nifi faciles obuiosque, vt omnis loquendi confuetudo docet, non amat, quo adeo ex capite graviter noftra opinione peccant, qui Matth. XXVI 26. 28. et XXVIII 19. tropice explicant.

§. 164.

§. 164.

Non diffitemur, quaedam audacius poni, si ex nostra loquendi consuetudine rem aestimamus, atque in genere imaginibus delectari sermonem Seruatori Apostolisque patrium vtpote ex hebraeo ortum et eius similem. Verum sunt suae huic quoque sermoni leges tenorque constans, quo tropos iam quaerit, iam refugit, vt in multis statui sine haesitatione possit, tropusne spectato loquendi vsu existimari, an proprie dictum accipi debeat.

§. 165.

Ex perpetuo vel frequenti admodum vocabuli dictionisque vsu magna plerumque verisimilitudinis specie de proprietate significatus iudicium fertur, vti cum *υἱου* appellatio Seruatori toties tribuitur, vel cum peccatorum expiatio tot formulis eumdem sensum habentibus traditur. Vsus quidem loquendi haud ferre videtur, vt toties tropos eosdem repetamus, nisi forte peculiaris ratio subsit, qualem deprehendisse sibi visi sunt magni interpretes in vocibus *δαιμονιον*, *δαιμονιζεσθαι* et phrasibus inde ortis. *

* Expendi hoc loco meretur, quod Tellerus von der Lehrart Christi und der Apostel generatim monet in den Vorerinnerungen zur dritten Auflage seines Wörterbuchs des N. T.

§. 166.

§. 166.

Iuuerit non raro ſubiecta adtributaque, caſum rectum et obliquum, epitheta, adverbia, et, vt in genere dicam, ea omnia adtendere, quae rem adcuratius definire determinareque poſſunt, ex quibus perſaepe nullo negotio ſtatui poterit, proprius an tropicus ſignificatus praeferendus ſit.

§. 167.

Saepiſſime dubium adimet parallelliſmus, cum vno loco proprie, quod alio tropice, dicitur, vel cum explicatius alibi, quod hic minus explicate, proponitur. Sic Jo. III 3. 5. intelligitur coll. Marc. XVI 16. eodemque modo I Moſ. III 14. coll. Mich. VII, 17. I Theſſ. IV. 16. coll. I Cor. XV. 52. Matth. III 16. coll. III, 22.

§. 168.

Plurima denique enucleabit contextus, cuius generis innumera exempla in vtroque Codice S. occurrunt. Adiſis vt pauca ponam I Moſ. III 10. et 24. vbi קול *tonitru* eſſe, quod volunt, vel כרבים *equos tonantes* aegre tibi ex contextu perſuadebis. Si Pſ. XVI, haereas in יהוה כוסי, lege v. 4. בל-אסיך caet. Eodemque modo ſi Matth. VII 22. προεφητευσαμεν negotium faceſſat, dubium tollent ſe-

ſequentia και τω σφ ονομ. δαιμονια εξεβαλομεν caet. Quanquam vero vbi locus totus allegoricus eſt, tropum ſuſpicari licet in ſingulis partibus aliquam cum vniuerſa allegoria connexionem habentibus, quae eſt obſervatio Erneſti *, non tamen id vbique tutum eſt, poteſtque vel in iis locis, quae laudat, in dubium vocari.

* Inſtitut. Interpret. P. I. Sect. II. Cap. IV. §. 14.

§. 169.

Senſum iam tropicorum quod ſpectat, eum declarat vel res ipſa, vel vſus loquendi, vel morum denique inſtitutorumque ratio; prout nempe tropus vel perſpicua ſimilitudine, vel idiomate, vel moribus et inſtitutis nititur; ſic cur tonitru קול יהוה hebraeis audiat vel Jeſu inſtitutio Φωτισμος dicatur, non difficilem explicatum habet, at ὁδος (דרך), ζωη (חיים), θανατος (מות), אור, חשך caet., itemque Pſ. II, 12. CX, 1. non intelligas, niſi idioma hebr., mores et inſtituta teneas.

§. 170.

Atque horum potius ratio habenda, quam etymologiae, ex qua ſi tropos explicandos putabimus, daturi ſumus non raro, de quibus Scriptores S. ne ſomniarunt qui-

quidem, quod ſummo viro Schultenſio ſequacibusque ſaepe, et multis etiam in Noui Teſt. explanatione accidit.

§. 171.

Nihil porro in hac omni re magis cauendum, atque ne informata qualicunque vocabulorum idea tropos ipſos ſtatim intelligere nobis videamur, quod crebro vſuvenit in vocibus, quae res ſenſiles notant; fit enim in his fere, vt, quoniam notiones proprias adcurate clareque tenemus, putemus quoque, quid tropice ſignificent, nos adſequi, quod ſecus habere, conſtabit illico, cum tentabimus id ipſum propriis verbis diſtincte declarare; in quo aquam nobis haerere multoties experiemur. Et quanquam certo indicio eſſe poterit, nos tropi vim minime adſequi, vbi propriis verbis, quod tropice dictum eſt, explanare nequibimus, non valet argumentum e conuerſo poteſtque falſa explicatio eſſe, quae verbis quamvis propriis diſtinctisque traditur.

§. 172.

Quoniam porro, vbi tropi continuantur, fitque locus *allegoricus*, impeditior paullo ſenſus redditur, de hoc quoque genere iſthic breuiter dicendum. Eſt itaque ante omnia conſilium allegoriae totius exqui-

quirendum, quod non erit difficile; nam plerumque ex contextu intelligi poterit; eritque etiam, vbi id conceptis verbis ſcriptor ipſe prodet, quod fit maxime in prophetarum effatis. Conſilio reperto indagentur verba phraſesque, in quibus cardo rei verti videbitur, eorumque ſenſus per ſubſidia adhuc tradita inueſtigetur. Nihil difficultatis caetera habebunt, niſi quod, praeſertim in Propheticis, hiſtoriam eorum tenere, de quibus agitur, profuerit, vt, quae ſubtiliter aliquando tanguntur, recte intelligas.*

* V. Ezech. Cap. XV. XIX. XXIV, 3 —. XVI. XXIII. I Cor. V, 6—. II Cor. III 1 —

§. 173.

Ad genus allegoricum reducitur *Parabola*, quae in hiſtoria Euangelica regnat, quanquam occurrunt et in Veteris Teſt. Scriptis, quae ſunt ex hoc genere. Eſt itaque in parabolis quoque primo ſemper loco inueſtigandum conſilium, quod dabunt plerumque adiuncta, vel explicatio ſubiecta. Ex neutro vbi de conſilio parabolae conſtiterit, vti fit forte in parabola Luc. XVI 19—, argumentum ipſum ſpectandum erit, ſolliciteque adtendenda, quae conſilium parabolae prodere poſſint, e quibus ſi non

cer-

certo, verosimiliter saltem de re omni statui poterit.

§. 174.

De consilio vbi constiterit, ea quae ad vestitum ornatumque parabolae pertinent, prouide secernenda ab iis, quae summam parabolae constituunt, cauendumque, ne vel ea, quae consilii sunt, poeticae parabolae parti adtribuas, vel ea, quae ornatus vestitusque gratia vnice ponuntur, ad consilium referas, quorum alterum ineptam reddere parabolam potest, vti accidit parabolae Matth. XXII., alterum mysticis explicationibus portam aperit. *

* Parabolarum exempla in V. T. sunt Jud. IX 7—15. II Sam. XII 1—5. Jesai. V. 1—7. In N. T. passim occurrunt. Vna ex pulcherrimis est, quae Luc. XV. 11 — narratur. De Parabolis V. Storr Dissertatio. 1779. Grays Vorlesungen Hannov. 1784. Bauers Erklärungen Leipzig 1782.

CAPUT VIII.

De Emphasibus iudicandis.

§. 175.

Minus crebro in emphasium iudicio peccari hodie ab interpretibus solet, atque peccatum non ita pridem fuit, cum empha-

fibus omnia replerent, exiſtimarentque in eo ſe facere, quod non minus indoli linquarum, quam dignitati Scripturarum ſacrarum conueniret; quo non obſtante iuuerit tirones praeceptis quibusdam muniiſſe, ne, vbi hanc rationem vſurpatam a magnis interpretibus deprehenderint, auctoritatis praeiudicio eo facilius in errorem inducantur, quo plus illecebrae ingenioſae eiusmodi interpretationes habent.

§. 176.

Et primum quidem iubemus tirones generalem loquendi conſuetudinem adtendere, quae hoc minime habet, vt, quidquid ſpectata forte etymologia, vel rem aeſtimando ex conſuetudine linquae alterius emphaticum eſſe poteſt, tale velit, ſed tam ſine emphaſi, quae ſunt eiusmodi, dici plerumque, quam ſine emphaſi dicuntur, quorum neque etymologia, neque idioma premi poteſt.

§. 177.

Primi certe vocum ſignificatus, vti ſaepius monuimus, in linquis plerisque omnibus exoleuere; quod adeo verum eſt, vt in ſermone patrio etymologias non niſi docti grammatici teneant, et in ſermone hebraeo Schultenſius neceſſum habuerit aliam dia-

lectum

lectum adire, in qua ipſa illud profecto non ſemper reperit, quod feliciter detexiſſe eum homines quidam ſemidocti depraedicant.

§. 178.

Nullo itaque pacto ferri poteſt ratio illorum interpretum, qui, cum de vocum, vt hoc vtar, hebraicarum ſignificatu pronunciandum eſt, in dialectis etymologiam quaerunt, hocque vt ſibi perſuadent, reperto ſtatuunt id ipſum in ſacro Codice vocibus notari, quod etymologia illa continetur, quum non modo dubitari poſſit, an etymologia recte inueſtigata ſit, ſed multo magis, an, quod etymologia habet, ſcriptor, quisquam hebraeus vmquam vſurpauerit.

§. 179.

Eſt aliud, quod in Veteris Teſt. expoſitione interpretibus non paucis fraudi fuit. Nimirum quum ſermo hebraeus omnis ad vehementiam compoſitus ſit in ſingulis vocibus et phraſibus, totaque ſyntactica ratione, haecque aeſtimarent homines linquae hebraeae non ſatis periti ex ſua loquendi conſuetudine, non ex hebraea, inter emphaſes omnia retulere. Itaque quoties paullo calidius Scriptores ſ., quod nos frigide, quoties per ambages vel conciſe, quod nos

breuius, vel plenius efferimus, dicunt, quoties ſynonima adcumulant, verba geminant, abſtracta pro concretis ponunt, pro ſingulari numerum pluralem adhibent, coniugatione graui vtuntur caet. emphaſes confingunt, de quibus ne ſomniare quidem Scriptores ſ. poterant, niſi homines fuerint toti ad emphaſes compoſiti.

§. 180.

Atque haec ex parte de Noui quoque Teſtamenti libris valent, vbi magis etiam, quae ex hebraica conſuetudine explicanda erant, in alienos ſenſus detorta et emphatice expoſita ſunt, propterea quod, quae graecis verbis in hiſce libris legerent interpretes, ex graeca ſyntaxi pleraque omnia interpretanda exiſtimarent, quod verum eſt de antiquis etiam interpretibus, quibus, cum patrio ſermone graeco vterentur, eo facilius hebraica conſuetudo imponere potuit.

§. 181.

Sed habet ſermo graecus quoque, quae hominibus in alio ſermone educatis cauſſa erroris extitere. Et primum quidem etymologias in expoſitione N. T. recentiores quidam interpretes non minus conſectati ſunt, quam Schultenſii adſeclae in explicandis hebraicis. Et quemadmodum Schultenſia-

nos dialectus Arabica, ita noſtros antiquorum grammaticorum gloſſae explicatusque etymologici in errorem induxere; in quo tolerabilius iſtis peccauere, quum certior multo graeca, quam hebraica etymologia ſit. Sed peccauere tamen. Neque enim, ſi *grammatico* licet receptas verborum ſignificationes ex etymologia oblitterata illuſtrare, licebit *interpreti* quoque etymologiam eiusmodi ſcriptori ſupponere.

§. 182.

Erroris occaſionem alteram praebuere compoſita, quibus abundat ſermo graecus. In his cum praepoſitiones, quae verbis ab initio accedunt, nimium ſollicite ſpectarent vulgus interpretum, crederentque iis in graeco ſermone non minus, quam patrio, verborum ſignificationes immutari, mirum eſt, quot emphaſium commenta in ſuis expoſitionibus lectori obtruſerint. A quo errore reuocare eos commentarii priſcorum interpretum poterant, qui graeci ſermonis indolem melius licet rectiusque noſcentes nihil tale plerumque in compoſitis videre.

§. 183.

Denique idioma quoque, ſeu quae propria in ſyntaxi habet ſermo graecus, non minus, quam hebraicus, ſaepe in cauſſa fue-

fuere, cur ceſpitarent graece non ſatis docti interpretes, vbi in articuli, praepoſitionis, particularum expletiuarum caet. vſu, multoque magis in phraſibus integris, praeſertim paullo inſolentioribus, mirum in modum argutati ſunt multaque inter emphaſes retulerunt, quae nihil tale cogitantes auctores ſacri perſcripſere. In quo illis impoſuit vulgaris error ad ſermonem vernaculum omnia referendi, qui ipſe emphaſibus totus conſtare eodem iure cenſeretur homini extraneo, noſtrum loquendi vſum nonniſi ex lexicis tenenti.

§. 184.

Cum itaque, quod adhuc vidimus, parum tutum ſit in emphaſium iudicio etymologiam, grammaticasque obſeruationes ſequi, optimum fuerit hac omni in re praeter vſum loquendi dicentis adfectum, argumentique grauitatem ſpectare (§. 45.). Non temere certe emphatice dictum alicubi veniet, quod ex hiſce iudicari nequeat, vti ex aduerſo nihil emphatice dictum eſſe poteſt, quod tale eſſe, dicentis adfectus, vel rei grauitas non confirmet.

§. 185.

Itaque emphaticum erit vocabulum, cuius ordinaria ſignificatio eſt inferior praeſen-

sentis adfectus magnitudine, cuius generis exempla et alibi passim et Jo. XIII. 6. 8. 14. occurrunt. Neque enim existimandum est, eum, qui dicit, frigide dicere velle, cum adfectu calet.

§. 186.

Non minus emphatice explicandum est, quod sine emphasi dictum rei magnitudini parum conuenit. Et huic enim in dicendo consultum volumus absurdumque ducimus de rebus magnis non pro eo ac dignum est verba facere; quo ex capite I Cor. IV, 3. 4. ἀνακρινειν plus est, quam urtheilen; et Rom. I. 8. πϛις non *fides* simpliciter, sed fides eximia, cum morum emendatione studioque virtutis non vulgari coniuncta. Eandemque ob rationem hebr. הוא de Deo dictum, et ὑιος του ανθρωπου vel χριϛος de Seruatore vsurpatum perpetuo emphatica sunt; neque enim si vulgari sensu intelligas, id vllo modo notare possunt, quod iis vsus loquendi sacer adtribuit.

§. 187.

Quidquid praeterea emphaticum habetur, inter figmenta interpretationis reponendum est, confutaturque primum hac generali ratione, quod, quemadmodum absurdum est de re graui, vel in adfectu paullo vehemen-

mentiore frigide verba facere remisseque dicere, ita non minus absurdum fuerit oratione calere verbisque magna promittere, cum neque adfectus, neque pondus rei hanc veniam dederit. Confutari vero praeterea non raro exemplis ipsis potest, cum nempe verborum quorundam formularumque constantes emphases fingunt, quas nullas esse docent loca manifesta, in quibus eadem verba et formulae occurrunt vel cum diserta magnitudinis significatione vti I Mos. XXVII, 33. Marc. IV. 41. Matth. II. 10. vel iuncta aliis, quorum nullam esse emphasim certo constat; cuius exemplum est in *αποκαραδοκιας* verbo Rom. VIII 19, quod Philipp. I. 20. in eodem contextu cum *ελπις* ponitur.

CAPUT IX.

De locorum conciliatione.

§. 188.

Venimus nunc ad loca pugnantia, qualia in libris sacris vtriusque Foederis non pauca occurrunt, quorum conciliatio interpreti tentanda est, quum repugnantiae species potius, quam vera repugnantia sit, quae scriptores sacros inter sese committit.

§. 189.

§. 189.

Repugnantia ad loca vel dogmatica vel hiſtorica pertinet. Pugnare porro videntur ſcriptores ſacri iam ſecum ipſis, iam cum aliis vel Noui vel Vet. Teſt. Scriptoribus. Quorum omnium nunc cauſſae breuiter adferendae ſunt, vt de conciliatione ipſa rectius ſtatui poſſit.

§. 190.

Et in locis quidem dogmaticis omnis repugnantiae ſpecies oritur vel ex modo loquendi minus adcurato, vel ex contextu loci diuerſo, vel denique ex ingenio linquae ſacrae interpreti non ſatis noto. Nam hae cauſſae ſi abſint, pugnaque perſiſtat, non repugnantiae ſpecies, vti expendenti patebit, ſed vera repugnantia erit.

§. 191.

In hiſtoricis oritur primum e diuerſo narrandi *conſilio.* Pro varietate enim conſilii varia eſſe ſolet narratio et in adiunctis factorum, et in factis ipſis, ita nimirum, vt quae facta percenſet vnus, eadem omittat alter, quod locum habet maxime in Joannis Evangelio, Chronicorum item et Regum libris; nam adiunctorum varietatem quod adtinet, ea latius pertinet, et in omni hiſtoria Euangelica regnat.

§. 192.

§. 192.

Ex diuerso quoque narrandi *modo* diuerſiſſima perſaepe exiſtit narratio; vti cum breuius vel prolixius, adcuratius vel minus adcurate narratur; cum praetermittitur quidquam memoriae vitio, vel rei ignorantia; cum nomen vnum pro altero ponitur, vbi res eadem pluribus vocabulis inſignita eſt, vel nomen ex conſuetudine orientali verbis aliis explicatur; cum chronologia diuerſa adhibetur, ab alio principio numeratur, annus inchoatus pro pleno ſumitur, menſium dies primi iam ſtrictius iam minus ſtricte computantur, vniuerſimque numerus craſſius definitur, in genealogiis filii mediati non iidem nominantur caet. quorum omnium exempla libri Regum et Chronicorum, non pauca quoque Euangeliorum libri ſuppeditant.

§. 193.

Denique repugnantiae ſpecies aliquando omiſſioni, manifeſto ſcriptionis vitio, errorique in numeris debetur, vnde explicatum habent non pauca, quae in mox laudatis Regum et Chronicorum libris negotium faceſſunt.

§. 194.

§. 194.

Modum nunc conciliationis quod adtinet, eum in vtroque genere, hiſtorico nimirum et dogmatico, haud difficulter inueniemus. Et cum in dogmaticis pugnae ſpecies exiſtat ex loquendi genere vago, obſcuro, et obiter non niſi rem adtingente, manifeſtum eſt conciliationem petendam eſſe ex locis, quae ſenſum clarum definitumque habent, in quibusque res diligentius atque veluti ex profeſſo tractatur. Sic Jeſu dictum [a]: ὁ πατηρ μου μειζων μου εϛι, quod ex inconſtanti vocis μειζων vſu apud Joannem diuerſam interpretationem habere poteſt, et in contextu longe alio eſt, atque vt ex eodem de dignitate Jeſu ſtatui poſſit, explicabimus ex locis aliis [b], vbi de ſua cum Patre coniunctione deſtinato conſilio Servator agit. Itemque verba *inſtitutionis* apud Lucam [c] interpretabimur ex verbis iisdem apud Matthaeum [d]; idque eo magis, quod Matthaei, non Lucae verbis vſus videatur Jeſus, Lucaeque verba in vtrumque ſenſum accipi queant. Eodemque modo quae Paullus in epiſtola ad Galatas [e] de operibus legis aduerſus iudaizantes homines paullo vehementius diſputat, emolliemus in ſubſidium adhibitis, quae hanc in rem diuerſis locis [f] Acta Apoſtolorum narrant.

a Jo. XIV, 28.

b ibid. 7—11. X. 30—39.

c XXII, 20.

d XXVI, 28.

e V, 4.

f XV, 23—30. XVI, 3. XXI 20—27.

§. 195.

Erit vero opera danda, vt, cum, quae in dogmaticis pugnare videntur, conciliamus, certa conſtantique lege, non pro arbitrio facere videamur; quod foret, ſi leuiſſimis ducti rationibus, quales ſunt ferme ex compendiis Theologicis depromtae, conſenſum ſumeremus potius, quam probaremus, quum vbique ex loquendi vſu communi vel proprio, ex ſcopo inſtitutoque ſcribentis, ex doctrina alibi tradita caet. oſtendendum ſit, potuiſſe ſic dici, quae repugnantiae ſpeciem habent.

§. 196.

In Locis hiſtoricis ante omnia expendendum, de eadem, an de diuerſis rebus dicatur. Quo quidem in genere in vtramque partem peccari poteſt, vel cum diuerſa facta ob ſimilitudinem qualemcunque miſcemus, vel cum ſeparamus, quae coniungenda ſunt.

funt. Quod non paucis interpretibus fraudi fuit, faepeque cauſſa extitit, cur conciliationes oppido violentas darent. Illuſtre exemplum in Matth. XXVI 6 — Marc. XIV 3 — Jo. XII 1 — et Luc. VII 36 — habemus, et reuocari ex parte huc poteſt Reſurrectionis hiſtoria.

§. 197.

Conciliationem ipſam locorum hiſtoricorum quod adtinet, eam perſaepe ſuggerent cauſſae ipſae repugnantiae. Atque etiam ex cauſſis hiſce adparebit, ad quemnam potiſſimum locum Conciliatio exigenda ſit, niſi quod nos hiſtorica ſubſidia non raro deſtituent; vbi adeo animi pendebimus. Generatim pronunciari poteſt, locum qui ambiguitate omni caret, in quo vitium ſcribendi minus pronum fuit, errorque admitti difficilius potuit, pro norma in conciliatione habendum, cum eoque alterum componendum eſſe.

§. 198.

In erroribus praeterea, vitiisque ſcribendi atque omiſſionibus primum cauebimus, ne libros adcuſemus eiusmodi, quibus naeui ſimiles non temere obiici poſſunt, deinde ne tale quid ſine idonea cauſſa probabilique argumento ſumamus. Omninoque

hac

hac omni in re vitanda leuitas, ne aduerſariis occaſionem praebeamus ſtudium partium nobis exprobrandi nimiamque in conciliando facilitatem; potiusque agnoſcenda vel rei difficultas, vel noſtra inſcitia, quam totum interpretis inſtitutum riſui exponendum.

CAPUT X.

De Citatis Veteris Teſt. in N. obuiis.

§. 199.

In N. T. Scriptis non pauca vel aperte laudantur, vel tacite adducuntur Veteris T. loca, quae negotium interpreti, non intellecta *citandi* ratione Sacrorum Scriptorum faceſſere poſſunt. Erit igitur operae pretium de citatis hiſce paucis dicere.

§. 200.

Duo vero quaeri poſſunt, primum, an Scriptores S., dum ex Veteri Teſt. verba ſententiasque mutuantur, ſenſui, quem obtinent in libris illis, conſtanter inſiſtant; alterum, quonam ex fonte, Textu ipſo hebr. an Verſione graeca citata ſumant. Vtrumque difficultatibus quibusdam obſeptum eſt.

§. 201.

§. 201.

Atque vt de ſenſu, quem citata, in libris N. T. obtinent, primum dicamus, facile patet, poſſe, vbi citata tecta ſunt atque *alluſiones* potius quam vera citata, Scriptorem ſacrum ea libertate vti, qua vtuntur ſcriptores profani quoque, qui, quum hunc in modum ſcripta aliorum excitant, parum plerumque de ſenſu ſolliciti ſunt, atque pro lubitu ſententias inſtituto adcommodant; in quo eos iure ſuo facere, nemo negauerit. Itaque neque diuum Paullum aliosue Scriptores S. hoc nomine accuſabimus, quod Prouerbiorum ſententias liberius aliquando vſurpent. *

* V. Michaelis Einl. §. 31. p. 210. der 3ten Ausg.

§. 202.

Paullo aliter habere videtur, cum aperte conceptisque verbis Scriptores locaque adpellantur. Sed vel iſthic diſcrimen faciendum erit. Cum enim obiter nonniſi atque veluti aliud agens ſcriptor libros auctoresque nominat, nemo tam ſeuerus eſt, vt velit citatum eodem ſemper ſenſu laudari, quo apud auctorem venit, propterea, quod id ne ſcriptor quidem ipſe promittere videatur, et venia haec omnino concedenda ſit, vt alienis noſtra ornare, maxime ſi is aeui

ge-

genius eſt, libere poſſimus. Exempla copioſa in ſcriptis eccleſiaſticis, et profanis quoque habemus, quae excuſare libertatem Auctorum Sacrorum poſſunt, qua in excitandis Vaticiniorum locis non raro vtuntur. *

* V. Rich. Simon. Hiſt. Crit. Text. N. I. Cap. XXI et XXII. Surenhuſii Βιβλος καταλλαγης. Amſtel. 1713.

§. 203.

Contra ea vbi data veluti opera, argumentique gratia atque vt rem ſuam confirmet ac muniat, ſcriptor aliorum auctoritatem adpellat, hic enimvero nemo dubitabit, quin, ſi a ſenſu deflectat, contra promiſſum officiumque faciat. Difficultas omnis in eo ſolum poſita eſt, vnde, quibusque ex formulis colligere tuto liceat, Scriptorem non obiter, neque *ad commodantis* in morem, ſed ſeueri ratiocinatoris inſtar atque veluti ex profeſſo ad teſtimonia prouocare. Et quod Scripta quidem Sacra in iisque Prophetarum oracula ſpectat, quae omnium frequentiſſime nominant Auctores Sacri N. T., placuit non paucis *, formulas ἱνα vel ὁπως πληρωθῃ certo ſemper indicio eſſe, locum vero ſenſu *propheticum* eſſe, et quod inde conſequens, *argumenti* gratia excitari.

*

* V. Michaelis Einleit. §. 32. p. 216 et 17. Dathe Jeſai. Cap. VII. not. *e*. Cap. XLII. not. *a*.

§. 204.

Libentiſſime huic opinioni nomen noſtrum daremus, niſi citatis ipſis Scriptorum S., citatis etiam Patrum [a] cumulate, vti nos quidem exiſtimamus, refutaretur. Tantum abeſt, vt formulae ὅπως vel ἵνα πληρωθῇ de prophetiae euentu teſtatum facere queant, vt a Patribus et Auctoribus Sacris adhibeantur tum etiam, cum ne quidem de prophetia res eſt. [b] Atque etiam locis propheticis praefiguntur a Scriptoribus Sacris, vbi nulla veri ſpecies, eos de euentu vaticinii cogitaſſe. [c] Huc accedit, quod diſcrimen inter formulas ἵνα πληρωθῇ et tote ἐπληρωθῇ, quod vrget Dathius, nullius momenti eſſe videatur, cum ἵνα ἐκβατικως intelligi poſſit, quo ſumto argumenti vim habere nequit. Atque etiam illud expendendum venit, myſticam interpretandi rationem primo iam aeuo vſque adeo frequentatam fuiſſe, vt mirum videri nobis nequaquam debeat, ſi apud Scriptores ſacros in eadem cum *Philone* religione educatos citandi formulas deprehendamus, quales nos, cum de adcommodatione nuda res eſt, vix vſurpaturi eſſemus.

Bayerische Staatsbibliothek München

a Iren. p. 244 edit. Basil. 1528. Clem. Alexand. p. 95. edit. Paris. 1629. Cyrill. Hierosol. p. 47. 197. edit. Paris. 1631. Jo. XIII. 18. XV. 25. XIX. 36.

b Iren. et Clem. Alexand. cit. loc. Cyrill. p. 147.

c Matth. II 15. 23. VIII, 17. XIII, 35. V. quoque Wetstenius ad Matth. I, 22.

§. 205.

Non, quod sciam, peculiariter quaesitum de locis historicis aliisque, quae aliquando non minus ambigue excitantur. Quaestionem non omnino superuacaneam esse, docet epistola ad Galatas[a], et ad Hebraeos[b], in quibus d. Paullus testimonia quaedam Vet. Test. tanta libertate tractat, vt non obstantibus allegandi formulis, quibus vtitur, persuadere tibi aegre queas, de argumentatione adcurate concluſa, non de adcommodatione nuda lusuque ingenii ibi rem esse. Quae in contrariam partem hic disputari possunt, haberent ea forte momentum, si de scriptore alio res esset; sed cum de Paullo, hoc est scriptore inter Judaeos nato educatoque agitur, nihil aliud probare possunt, atque citandi rationem non eam ab Apostolo vsurpatam esse, qualem ακριβειαν *polemicam* postulat. c

a Cap. III 6—. IV. 22—.

b Passim.

c V. Meinen Brief an die Gal. Anmerk.

§. 206.

§. 206.

Erit igitur in re omni non tam ad *formulas citandi*, quam ad totum orationis contextum reſpiciendum, vt citra errandi periculum de citatorum ſenſu ſtatuatur. Vbi perpetuo in memoriam rouocandum, quod aliquoties iam monuimus, Scriptores Sacros eo degiſſe aeuo, quo myſtica non minus, quam litteralis interpretandi ratio in vſu erat. Profueritque hanc ob cauſſam in ſcriptis veterum Interpretum Eccleſiaſticorum non mediocriter verſatum eſſe, vt, ſi myſtici generis quam plurima apud hoſce repererimus, non miremur ſimilia apud Scriptores S. hinc inde deprehendi.

§. 207.

De quaeſito altero, nempe quonam ex fonte citata ſua depromant auctores ſacri, vt nunc dicamus, in anteceſſum monemus, quoad auctoritatem librorum ſ. N. T. et Θεοπνευςιαν ſpectat, parui referre, vndecunque, graeco an hebraico e textu, citata deſumta ſint, dum ne teſtimonia graeco e textu tum laudentur, cum inſtitutum Scriptoris S. poſtulat, vt ex hebraico depromantur. Neque enim ratio vlla ſat conuincens adferri poteſt, cur ob leuia quaecunque diſcrimina, praeſertim ſi ſunt eiusmodi, quae rei ſummam non adficiant, negligi Verſio

recepta ab Auctoribus sacris debuerit, et in medium proferri vel textus hebraicus vulgo non intellectus, vel versio noua, quae si non offenderet, certe non multum prodesset.

§. 208.

Reapse e Versione LXX citata N. T. pleraque desumta sunt iis exceptis, quae in Matthaei Euangelio occurrunt, qui, cum, vti in sequentibus dicemus, hebraice scriberet, commodius ex hebraico, quam graeco textu testimonia laudauit; quanquam non constanter fecit, sed aliquando graecam quoque Versionem sequutus est. Atque de his dubitare minime sinit collatio ipsa citatorum, ex qua vti de Matthaeo constat, ita non minus manifestum est de caeteris Scriptoribus S., eos e Versione graeca hausisse. Idque vsque adeo verum est, vt citata illorum cum versione hac non tum solum consentiant, cum salua lectione versio a textu hebraico diffidet, sed tum etiam, cum lectio ipsa diuersa est. *

* Rich. Simon. Hist. Crit. Text. N. T. Cap. XX; Michaelis Einl. §. 33. De citatis Paullinis peculiari excursu agit Koppe in suo N. T. graec. perpetua annotatione illustrato.

§. 209.

Neque tamen exiſtimandum eſt, eos Verſioni graecae tam adcurate vbique inſiſtere, vt ab ea nuſpiam diſcedant. Et aliquando quidem eos hebraeum textum ſequi deſerto graeco, collatio eadem citatorum docuit. Sed in alias a Verſione LXX. partes tum quoque abeunt, cum nulla eſt veri ſpecies, eos ex hebraeo vertiſſe, cuius rei cauſſa eſſe videtur, quod ex memoria non raro teſtimonia recitauerint, quanquam aliam praeterea ſuſpicatur Michaelis *, qui putat, eos forte data aliquando opera emendandique ſtudio textum graecum deſeruiſſe. Vtvt habeat, non temere hac omni in re pronunciandum, nec verus ſemper diſſenſus habendus eſt, vbi citata a verſione differunt, cum fieri poſſit, vt lectio LXX olim alia fuerit, atque qua hodie vtimur. Textum certe Verſionis, quod alibi videbimus, non ſatis ſincerum habemus.

* Cit. loc.

§. 210.

Adtentione quam Digniſſimum eſt, quod, cum Scriptores S. praeter Matthaeum, vti modo vidimus, in plerisque graecam Verſionem ſequantur, in aliis hebraeum excitent, idque non tum ſolum faciant, quum

tex-

textus hebraeus ad inſtitutum magis feciſſet, ſed tum etiam, cum graeca verſio non minus vſui eſſe poterat. De quo Schulzii * conjectura eſt, hebraica laudari, cum verſio graeca nulla praeſto eſſet. Sed adcuratiori examine res indiget.

* V. Michaelis Einl. §. 34.

§. 211.

Atque haec quidem de citatis in N. T. obuiis commemorare viſum eſt, quibus poſtremo loco adiungimus, quod ipſum non ſatis ſemper intellexerunt interpretes, modum citandi in N. T. eum ferme eſſe, quem in Rabbinorum libris reperire eſt, qui teſtimonia recitant non indicatis locis vel vage ſolum adpellatis, quale eſt, cum γραφη, νομος, προφητης adiecto interdum nomine, caet. aliàs Αβιαθαρ [a], βατος [b], Ηλιας [c] nominantur libris aut plane non, aut non diſtincte indicatis, multoque minus ſectionibus, quas ne indicare quidem in libris plerisque poterant [d]; quae quidem vaga citandi ratio interpreti in lectione librorum ſacrorum verſato raro negotium faceſſet.

a Marc. II 26.

b Marc. XII 26. Luc. XX, 37.

c Rom. XI, 2.

d V. Michaelis Einl. §. 36.

CA-

CAPUT XI.

De Versionibus Bibliorum scribendis et iudicandis.

§. 212.

Quum interpretis officium sit duplex, et intelligere, quae scripto, cuius est interpres, continentur, et eadem perspicue enarrare, hocque alterum vertendo potissimum fiat, ad institutum nostrum pertinet, vt de versionibus quoque praecipiamus.

§. 213.

Versionum duo genera cogitari possunt, vnum, quod publico vsui destinatur, alterum, quod priuato; quae confundi haud debere, et res ipsa loquitur, et praeceptorum vtrique generi scribendorum diuersitas euincit. *

* V. Griesbach über die verschiedenen Arten deutscher Bibelübersetzungen im Repertorium für Bibl. und Morgenl. Litteratur. P. VI. p. 262.

§. 214.

Et Versiones quidem bibliorum priuatae, cum, quoad regulas vertendi spectat, a versionibus librorum profanorum non admodum di-

discedant, et *claraе* et *adcuratae* esse debebunt.

§. 215.

Claraе vt sint, nemo non videt, deligenda esse et verba et phrases eiusmodi, quae in eo sermonis genere, quo in vertendo vtimur, intelligi possint. Ex quo consectarium est, vt vitari debeant in versione, quae sermo biblicus propria habet.

§. 216.

Et illud manifestum, adcuratam, quod alterum est, versionem esse haud posse, nisi primum verba verbis, phrasibus phrases, vel hoc si fieri nequeat, membrum membro ita respondeat, vt nec *plus*, nec *minus* sit in versione, quam in archetypo, deinde nisi character quoque orationis conseruetur.

§. 217.

Ex quo sequitur, non notionum solum ἀκριβειαν retinendam, sed stili quoque diuersitatem exprimendam esse, nec eam solum, quae diuersi, sed eam quoque, quae eiusdem generis scriptorum esse solet, atque etiam, quod suapte intelligitur, ipsum biblicum dicendi characterem conseruandum.

§. 218.

§. 218.

Et haec quidem praecepta generalia ſunt, ſatis, quamdiu res exemplis non agitur, plana; ſed ad haec vbi deuentum fuerit, magnis nonnunquam difficultatibus obſepta, exceptionique etiam non vni obnoxia.

§. 219.

Et primum quidem, quae ſunt propria ſermonis biblici, hoc eſt hebraiſmos, vitare recte quidem in verſionibus *priuatis* iubemur; erit tamen ea res cum magna aliquando offenſione lectorum coniuncta, idque in N. T. libris cum primis, in quibus multa ſunt dogmatica, quae non a diuerſorum ſolum, ſed ab eiusdem quoque non raro coetus hominibus in alias atque alias partes trahuntur, et verbis plerumque non tam euidentibus enunciantur, vt contentioni omni aditus praecluſus ſit.

§. 220.

In iis ipſis, quae ad dogmata haud ſpectant, reprehenſionem multoties ſubituri ſumus, cum ad ſenſum noſtraque ex conſuetudine vertemus, propterea, quod biblicae voces phraſesque multum inconſtantiae habeant, neque eodem modo ab omnibus intelligantur, phraſes autem, quas in verſione ponimus, definitum magis determinatumque ſenſum fundant.

§. 221.

§. 221.

Obstabit alias, quo minus nostris vtamur, ipse ambitus loquendi, in quem concedendum nobis erit, si volemus hebraicorum graecorumque vim ac potestatem declarare. Vbi quidem plerumque praestiterit etymologice conuertere, vel vsu receptas voces retinere. Quod idem faciendum erit in lusibus verborum et amphiboliis, quales non raro consectantur Scriptores Sacri.

§. 222.

Quid quod studio nullaque necessitate in libris V. atque etiam N. T. hebraismos quosdam retinendos volunt, qui de versionibus biblicis iudicant. Quanquam qui hebraismi retinendi, qui dimittendi, nemo adhuc diserte edixit, cum confuso quodam sensu potius, eoque, quod pronum, non satis constante, quam certo iudicio de re omni adhuc existimatum sit.

§. 223.

Lex, quae verba phrasesque eiusdem sensus postulat, dici non potest, quam multum negotii, interpretibus etiam linquarum peritissimis faceßat. Nam iis molestam esse, qui linquam aut vnam, aut alteram non satis callent, nihil mirum fuerit. Inde potissimum difficultas existit, quod idearum conformatio in diuersis linquis diuersa admodum esse soleat; quo fit, vt primum verbum

bum e verbo reddere nequeas, aliaque si adhibueris, incidas vel in eiusmodi, quae rem non satis exprimant, vel si exprimant, modo significationis atque vt ita dicam colore differant, vt magno plerumque artificio, immensaque verborum copia opus habeas, si difficultate te expedire velis.

§. 224.

Accedit impedimentum aliud, quod est in ipsa inconstantia sermonis biblici, quem vt mox supra obseruauimus, aliter atque aliter intelligunt, vel si de sensu consentiunt, de vi expressionis diuersissime iudicant.

§. 225.

Stili diuersitates imitari rectissime procul dubio iubemur; sed totum hoc, quod est de stilo praeceptum, nemo adhuc, quod sciam, distincte satis enunciauit, videasque summos viros linquarumque peritissimos de stilo non raro dissentire. Ita quidem fieri necessum, vbi gustu, hoc est confuso interni sensus iudicio res agitur. De stili biblici charactere multo etiam maior difficultas, inconstantioraque eruditorum iudicia.

§. 226.

Equidem non est difficile quasdam stili proprietates, quae paullo magis exstant, obseruare, vnumque scriptorem ab altero, veluti Mosem ab Esdra, Iesaiam a Ieremia

et

et Ezechiele, Matthaeum a Luca, in epiſtolis Paullum a Ioanne ſecernere, ſed ſunt quaedam ſtili diſcrimina paullo ſubtiliora, quae difficilius deteguntur, eaque ipſa, quae luculentiora ſunt, et quodammodo in oculos incurrunt, plurimis in vertendo difficultatibus obnoxia exiſtunt, propterea, quod praeter linquarum notitiam adcuratam lectionem varii generis ſcriptorum, plurimum pſychologicae cognitionis, vſum experientiamque multam, inmenſamque verborum copiam poſtulent, vt non modo quibus rebus ſcriptor vnus ab altero differat, diſtincte admodum peruideamus, ſed ſtili genera varia quoque in promptu habeamus, vt ſermo noſter facile in omnem partem ſeſe adcommodet, diuerſiſſimasque formas ſine labore vllo induat.

§. 227.

Atque haec commemoramus, non quo tironem a Verſionibus S. abſterreamus, ſed quo non leuiter tantum negotium adgrediendum eſſe intelligat, videatque etiam, vnde fit, quod iudicia virorum eruditorum de ſacris verſionibus diſcrepent, intelligatque ſimul, quibus mediis ſibi bene vertendi facultatem parare queat.

§. 228.

Equidem nullus dubito, quin hic potiſſimum vſus exercitatioque valeat, eoque ma-

magis, quod praecepta interpretandi nimium generalia vulgo tradantur, eaque exceptionibusque non paucis obnoxia. Neque vero, niſi in infinitum praecepta adcumulare velimus, plenior theoria tradi poteſt, quae alioqui nihil ſat certi conſtantisque habebit, quamdiu de rebus ipſis, hoc eſt de dogmatis ſacris, diuerſa erunt iudicia.

§. 229.

Et illud mihi obſeruaſſe videor, bonas verſiones maiorem fere eius ſermonis, in quo fit verſio, notitiam poſtulare, quam ſermonis archetypi; cum videam optimas bibliorum verſiones non ab iis, qui linquarum orientalium eſſent callentiſſimi, ſed ab iis ferme profectas eſſe, qui, vti harum linquarum ſtudio aliis inferiores eſſent, ita vernaculum ſermonem melius rectiusque tenerent. Cuius quidem rei ratio non vna eſſe videtur, haec vero praecipua, quod poſt tot virorum eruditorum labores non tam ſit difficile ſermonem biblicum vtcunque intelligere, quam noſtro ſermone bene enarrare.

§. 230.

De altero verſionum genere, quod publicum diximus, pauca dicenda reſtant. Manifeſtum eſt, verſionis publicae non tam *claritatem*, quam ſummam *ακριβειαν*, in rebus maxime ad dogmata moresque pertinenti-

bus

bus quaeri, propterea, quod eius finis praecipuus hic sit, vt omnes coetus alicuius homines ex ea tanquam fonte petere possint, quae ad res diuinas sacraque dogmata spectant.

§. 231.

Itaque versionis eiusmodi nullum vitium erit, si propria sermonis biblici retineat, cum vel minimum dubium de sensu superesit. Quamuis enim interpreti aliquando de sensu satis aperte constare videbitur, non idem fortassis caeterorum iudicium erit, de quo si dubitatur, praestiterit, nimis in vertendo religiosum, quam praecipitem fuisse.

§. 232.

Et quanquam in Veteri non minus, quam Nouo Test. occurrunt, in quibus timide admodum versari interpretem oportebit, multo tamen timidiorem esse debere versionem N., quam V. T., expendenti facile patebit.

§. 233.

Et quae quidem ad historiam vnice spectant resque alias minoris momenti, vertendi libertatem excusare ex parte possunt; tamen in his quoque vt magna integritate versetur interpres, optandum, quod de his ipsis rebus non eadem semper sunt iudicia, versionis-

que publicae fidem in rebus quibusuis leuissimis maximam esse oportet.

§. 234.

Quod alteram versionis dotem spectat, quae est, vt sit *adcurata*, magis ea quidem in versionibus publicis, vt adhuc vidimus, sensum, quam stilum spectat.

§. 235.

Erit equidem, vbi interpres et sensus integritatem et dictionis colorem conseruare poterit, quod vbi fiet, non est dubium, quin operam dare vtrique debeat. At multo frequentius accidet, vt si hanc imitari studeat, illa periclitetur, tum itaque religio nulla erit, minus elegantem scitumque, quam integrum et sincerum interpretem existere.

§. 236.

Caeterum et versionem publicam summa stili discrimina, poetici e. g. et historici, distinquere debere, conseruandasque in hac quoque, quin magis etiam, imagines orientales, religiosas cum primis, et allusiones ad priscos mores institutaque, nihil difficultatis habet.

§. 237.

Vnum, praeter modo exposita, restat versionum genus, quod alio nomine *paraphrases* di-

dicunt, cuiusque vſus ad rudes potiſſimum Librorum ſ. lectores ſpectat. Huic illud vnice propoſitum eſt, vt, quod in ſingulis vocibus, phraſibus, totoque nexu orationis obſcurum eſſe poteſt, clare, atque ad captum enarret.

§. 238.

Claritatem adeo huius generis dotem praecipuam eſſe, eamque cum diſpendio *adcurationis*, nihil dubitationis habet. Non erunt itaque vitio dandi paraphraſibus circuitus, definitiones, deſcriptionesque, quarum nullum in archetypo veſtigium. Incuſari quoque paraphraſtes haud poterit, ſi cauſſas dictorum explicauerit, omiſſa in praecipiti et ſubſultoria oratione' ſuppleuerit, laxius verterit, et pro phraſi minus clara clariorem aliam poſuerit, et quae ſunt alia eius generis, dum in his omnibus breuitati ſtudeat; ne paraphraſis contra inſtitutum in commentarium excreſcat.

§. 239.

Caeterum a ſenſu Scriptoris S. aberrare, dictorum rationem falſam exponere, definitiones falſas in medium proferre, ſeriem orationis non eam ſiſtere, qualis eſt, grande piaculum, vt nemo non videt, et in hoc interpretandi genere fuerit.

PARS

PARS II.

De instrumento Hermeneutico eiusque legitimo vsu.

CAPUT I.

De Librorum Sacrorum sinceritate et integritate.

§. 240.

Libros Sacros impostoribus in acceptis non referendos esse, ipsis internis horum librorum notis indoleque ita conuincitur, vt vix dubio locus supersit.

§. 241.

Et in libris quidem Vet. Test. et ipsum argumentum, et character dictionis, quam a studio partium alienus, tam ad omnem sinceritatem compositus, in historicis minima quaeque non raro persequens diligen-

tia, ſummus vbique cum inſtitutis et moribus cum Orientis vniuerſi, tum Palaeſtinae, atque etiam cum animorum humanorum hiſtoria conſenſus, ſtili diuerſitas ingens, et in hac diuerſitate mirabilis librorum ſingulorum conſpiratio, pulcherrimaque connexio — haec inquam et alia non pauca faciunt, vt, ſi impoſturae tribuere libros hoſce velimus, omnibus cogitandi legibus, omnique logicae probabilium noſtro quidem iudicio renunciandum ſit.

§. 242.

Libris Noui Teſt. ſinceritatem vindicant, eosque ab omni impoſturae ſuſpicione liberant argumenta primum ſimilia; ipſa dein rei dignitas et ſublimitas, doctrinae praeſtantia, *factorum* cum ſumma vtilitas, tum diuinum quoddam decus, validiſſimaque ex teſtimoniis extraneis confirmatio.*

* The credibility of the Goſpel Hiſtory by Nathanael Lardner. Item a large collection of ancient Jewiſch and Heathen teſtimonies of the truth of the Chriſtian Religion by the ſame.

§. 243.

De Textus Sacri integritate non magis dubitari poteſt. Et textum quidem Veteris Teſt. interpolatum haud eſſe *, primum eo

pro-

probari videtur, quod nullum vel in hiſtoria textus **, vel in hiſtoria reliqua talis interpolationis veſtigium adpareat.

* De interpolatione non vnius alteriuſue, ſed plerorumque omnium antiquorum codicum inſtrumentorumque dicimus.

** Quae Richard Simon lib. I. Hiſt. Crit. V. T. Capp. IV, V. VIII. et Kennicot in diſſertatione generali p. 8 — item in diſſertationibus ſuper ratione textus hebr. Vet. T. habent, vel huc non pertinent, vel facile explicantur.

§. 244.

Origenis quidem Hieronymique, atque aliorum quoque Patrum, qui de textus Sacri interpolatione a Iudaeis ſub Chriſti nati tempora facta alicubi queri videntur, auctoritas non vni dubitationi obnoxia eſt; Voſſiique et quorumdam e Catholicis, Morini cumprimis, commentum, Iudaeos ſimilem in modum calumniantium, minus etiam morabitur cordatus lector; vt nihil dicam interpolationes eas, de quibus Origenes et Hieronymus olim, Voſſius et Morinus noſtris temporibus conqueſti ſunt, paucarum non niſi lectionum eſſe, earumque eiusmodi, quae vel falſo pro interpolatis habeantur, vel criticis rationibus facillime confutentur.

* V. Briani Waltoni Proleg. ſeparatim Lipſ. 1777. proleg. VII. Richard Simon Hiſt. Crit. V. T. lib. I. Cap. XVIII. et XIX lib. II. Cap. IV. lib. III. Cap. XVIII. Eichhorn Einl. ins A. T. zw. Ausg. Leipz. 1787. §. 111.

§. 245.

Et vero numquam a Iudaeis (et de his vnice quaeſtio eſſe poſſe videtur) interpolatos libros ſacros, non pauca ſuadent. Primum ſumma nationis huius religio, qua libros hoſce numquam non habuit, vtpote quos tanquam ſacros diuinosque venerata eſt, et tanquam fundamentum baſimque totius ſeu ſacrae ſeu profanae ſuae reipublicae ſuſpexit; magna dein integritas, qua non modo, quae opprobrio notare populares ſuos, totamque gentem poterant, verum luculentiſſima quoque de Seruatore vaticinia ad nos transmiſit; denique textus Samaritani, Verſionum antiquarum Codicumque tantus cum vulgari textu conſenſus, quantus in rebus iſtis ſperari poteſt.

§. 246.

Multo certius etiam de integritate textus N. T. conſtat, quam, vt vulgaria argumenta a Verſionum antiquitate et multitudine, ab exemplarium copia, primorum Chriſtianorum ſumma, qua in libros

hoſce

hoſce ferebantur, religione peti ſolita non nimis vrgeam *, ſolidiſſime conuincit ipſa textus Sacri hiſtoria, quae licet a Seculi II. demum exitu certa et indubia fieri incipit, grauiſſimas tamen rationes ſuppeditat, quibus ſuam textui integritatem ſuperioribus quoque temporibus conſtitiſſe probemus. **

* V. Jo. Jac. Griesbachii Curae in hiſtoriam Textus epiſtolarum Paulinarum Jenae 1777. Sect. I. §. 3.

** Contrarium noſtra opinione non evicit Auctor diſſertationis de interpolationibus in Euangelio Matthaei (V. Repertorium für Bibl. und M. L. P. IX. p. 99 —) qui in quibusdam non ſatis circumſpecte rationes concludere nobis videtur.

§. 247.

Neque dictis obſtant Patrum antiquorum querelae de deprauatis ab haereticis, Marcioneque cumprimis lectionibus ſacris. Nam praecipites plerumque Venerandos Viros ea in accuſatione fuiſſe, magnis Criticis obſeruatum eſt *; deprauationesque illae, ſi quae ſunt, ad paucas lectiones, pauca etiam exemplaria pertinent.

* V. Richard Simon Hiſt. Crit. Text. N. T. Cap. XV. cum notis Semleri Halae 1776. Michaelis Einl. §. 49. Griesbach Curae in hiſt. Text. Paul. Sect. III. §. 8.

§. 248.

§. 248.

Non magis textus Sacri seu Noui seu Vet. Test. sinceritatem euertit immensa lectionum variarum copia, quae fucum quidem facere imperitis, atque in re critica peregrinis potest, iis vero, qui in hanc lectionum varietatem paullo adcuratius inquisiuere, vsque adeo suspectos libros S. non reddit, vt ea validissime confirmari genuinas lectiones, refutarique spurias vnanimiter agnoscant.

CAPUT II.

De Canone librorum Sacrorum.

§. 249.

Quae hodie potestas vocibus *Canon*, et *Canonicus* subiecta sit, cum de libris S. quaerimus, non est obscurum; quanquam primis Ecclesiae seculis ambiguus admodum fuisse videtur vocabulorum sensus *, quod probe tenendum est, ne confidenter nimium quaedam Veterum testimonia interpretemur.

* V. Eichhorn Einl. ins N. T. §. 16.

§. 250.

§. 250.

De eo itaque, cum de Canone libris-que Canonicis agitur, quaeſtio omnis eſt, quaenam ſeu Veteris, ſeu Noui Teſt. ſcripta *ſacra diuinaque* * habenda ſint. Qua quidem in quaeſtione non eſt eadem librorum foederis, vtriusque ratio. Nam qui libri Veteris Teſt. *Canonica* auctoritate polleant conſtabit, ſimul atque conſtiterit, quibus libris Chriſti Apoſtolorumque aetate hic honos habitus ſit, propterea, quod procul dubio hi ipſi libri ſint, quos γραφης nomine toties adpellat et conſecrat Nouum Foedus, vt alia confirmatione non egeant; cum ex aduerſo libri N. T. nullo tam expreſſo certoque Chriſti Apoſtolorumue teſtimonio gaudeant, et vel ideo in eorum auctoritate firmanda antiquitatis iudicium valeat.

* Expreſſionibus vagis vti cogimur, cum vagus ſit Θεοπνευστιας conceptus.

§. 251.

Atque vt de libris iam primi generis dicamus, eos paucis exceptis, Baruch nempe, Tobia, Judith, Sapientia, Eccleſiaſtico duobusque Macchabaeorum, caeteros omnes primo Chriſtianae rei aeuo canonicos a Judaeis habitos fuiſſe „ ex Philonis Joſephique ſcriptis et teſtimoniis, Noui Teſt.

ci-

citatis, Melitonis, Origenis, Hieronymi, Talmudisque auctoritate ita conuincitur, vt dubia, quae ſuperſunt de vno alteroue libro, non tam ex teſtimoniis petita ſint, quam ex argumento librorum. *

* Diligentiſſime hoc argumentum tractauit Eichhorn in der Einl. ins A. T. Cap. I.

§. 252.

Quod libros caeteros, quos mox ſupra nominauimus adtinet, eos ad canonem Judaeorum haud pertinuiſſe Chriſti Apoſtolorumque aetate, neque certam antiquitati ſtetiſſe de iisdem ſententiam, conſitentur Theologi noſtri. Quo non obſtante in canonicis habendos decernunt * ob Tridentini maxime concilii auctoritatem, quod hos vti priores libros nullo diſcrimine diuinos pronunciauit. **

* Magna id fit moderatione a Melchiore Cano lib. II. de locis Theolog. Cap. IX.

** Seſſ. IV.

§. 253.

De libris N. T. plerisque omnibus ſatis conſentiens noſtros inter exterosque Theologos ſententia eſt *, niſi quod a recentioribus nonnullis de primorum duorum capi-

tum

tum Matthaei, Apocalypſeos item auctoritate dubitatur **; quae quidem ſcripta a Mattheaeo Joanneque profecta, et, quod inde conſequens, canonica eſſe negant.

* Richard Simon Hiſt. Crit. Text. N. T. Cap. V et ſeqq. Michaelis Einl. §. 120. et ſeqq. The credibility of the Goſpel Hiſtory by Nath. Lardner. Chriſt. Fr. Schmidii Hiſtoria antiqua et vindicatio Canonis Sacri vet. nouique Teſt. Lipſ. 1775. praeter alios.

** A free Enquiry into the Authenticity of the firſt and ſecond Chapters of St. Matthews Goſpel. (By William) London 1771. The Authenticity of the firſt and ſecond Chapters of St. Matthews Goſpel vindicated: in Anſwer to a Treatiſe entitled, A free Enquiry caet. (by Velthuſen) London 1771. Chriſtliche freie Unterſuchung über die ſogenannte Offenbarung Johannis — herausgegeben mit Anmerkungen von Semler, Halle 1769. Merkels Beweis, daß die Apokalyps ein untergeſchoben Buch ſei. Eiusdem Aufklärung der Streitigkeiten der Aloger und anderer alten Lehrer über die Apokalypſis aus dem zweiten Jahrhunderte als ein Beitrag zum zuverläßigen Beweiſe, daß die Apokalypſis ein untergeſchoben Buch iſt, Frankf. u. Leipzig 1782. Knittels Synodalſchreiben: Beiträge zur Kritik über Johannis Offenbarung, Braunſchw. u. Hildesheim 1773. Cui oppoſuit Semler Neue Unterſuchungen über die Apokal. Halle 1776. Apologie der Apokalypſe (von Hartwig) Chemnitz 1780. — Storrs Neue Apologie der Offenbarung, Tübingen 1783. Item über den Zweck der Evangeliſch. Geſchichte caet. Lectu quoque digna, quae

de

de Apocalyſi et duobus Matthaei Capitibus Michaelis in der Einleitung et Or. Bibl. P. I p. 53 — 107 — P. XXI. p. 109 — habet, qui in der Einl. de epiſtolis quoque nonnullis dubitat.

§. 254.

Equidem neque Matthaei capita, neque Apocalypſim dubitationi vlli obnoxiam, vbi historicis argumentis res agitur, cenſeo. Matthaei duo capita, vt de his primum dicam, ſcripta exemplaria, quae hodie ſuperſunt, miro conſenſu exhibent; ab antiquioribus non abfuiſſe, Patrum antiquiſſimorum *citata* plusquam verosimile faciunt, quo quidem poſito difficile fuerit interpolationis origines in graeco textu quaerere.

§. 255.

Hebraicum textum interpolatum fuiſſe vt vt maxime concedam, quod ipſum eſt omni ex parte dubium, non video, cur interpres Matthaei in exemplar interpolatum incidere debuerit, quum veroſimile haud ſit, interpolationem ad exemplaria, quae tum forte extitere, omnia pertinuiſſe, tantaque praeterea ſocordia, reclamante nemine, rem geſſiſſe interpretem, vt de probo exemplari non curaret.

§. 256.

Difficile etiam creditu, casu contigisse, vt quarto seculo Hieronymus in exemplar Nazaraeorum eodem modo interpolatum incideret. Nam quod negat Celeberrimus Michaelis locis Hieronymi * de hebraico textu rem esse, in eo Vir doctissimus omnium minime nobis iudicium suum probauit.

* In Catalogo Virorum illust. Tom. IV. edit. Maur. p. 102. et Comment. in Matth. II. 6.

§. 257.

Quid quod in ipso dicendi scribendique charactere serieque secutorum capitum quaedam obseruasse nobis videmur, quae interpolata prima capita esse alienaque haud sinunt. Quo accedit, quod aduersa sententia non nisi *Theologicis negatiuisque* argumentis propugnari soleat, quae haud ita instruuntur, vt silentium omnino inuerosimile faciant.

§. 258.

Pro Apocalypseos auctoritate testimonia omni exceptione maiora pugnant Justini, Irenaei, Melitonis, Apollonii, Theophili, Clementis Alex., Origenis denique *, Patrum antiquissimorum, qui partim in Asiaticis

ticis eccleſiis verſati ſunt, partim ſocietatem diſcipulorum Joannis coluere, atque etiam aduerſarii opinionum (de Origene dicimus), quibus fauere Apocalypſis videbatur, vehementiſſimi extitere.

* V. Hartwigs Apologie IV. Thl. §. 11—

§. 259.

Caii Romani, Dionyſiique Alex. teſtimonia, quae in contrariam partem adferri ſolent, ita nulla eſſe oſtendit, noſtro quidem iudicio, Hartwigius *, vt horum Patrum auctoritate neminem porro aduerſariorum abuſurum ſperemus.

* I Th. II. II Th. II. III Th. §. 16—

§. 260.

Non maius pondus caeteris argumentis, *negatiuis* ferme et ex interpretationis difficultate petitis ineſt, quae ſi valerent, refutari eodem iure, quid quid ſacrorum librorum habemus, poſſet. Nuſpiam certe Alogi ad teſtimonia prouocant; vbique ex aduerſo abſurda eſſe humanaeque intelligentiae vim inferentia clamitant, quae in Apocalypſi tradantur; quo quidem argumento

mento ſuſpecta forte materies libri reddi poteſt, libri auctorem Joannem non eſſe, profecto non efficitur. *

* V. Hartwig cum toto opere, tum praeſertim P. IV.

CAPUT III.

De Inſpiratione librorum Sacrorum.

§. 261.

De *Inſpiratione* diſcrepantes admodum fuere ſuperiori ſeculo Theologorum opiniones, quorum hiſtoriam tenere profuerit *, ne ἑτεροδοξον ſtatim cenſeamus, quod cum vulgo receptis opinionibus non conſentit.

* Adcurate eam enarrat Rich. Simon Hiſt. Crit. Text. N. T. Cap. XXIII et XXIV. Item Nouv. Obſ. ſur le Texte et les Verſions P. I Chap. III et ſeqq.

§. 262.

Nemo, ſi Henricum Holdenium excipiamus, longius progreſſus eſt Jesuitis Louanienſibus, quibus ipſis, vti obſeruat Simonius,

nius, viam praeiuere alii. In quorum ſententia merito quaeras, quid Θεοπνευςον in ſcriptis Sacris ſit aut eſſe poſſit.

§. 263.

Reuera obſcura eſt, quae Θεοπνευςιας vocabulo continetur, adpellatio, quam ſi nimium vrgeas, ipſos Sanctos Patres in ſuſpicionem adducere poſſis.[a] Sed nulla neceſſitate, vti videtur, voces Θεοπνευςια et Θεοπνευςος adhibentur. S. Paulus Θεοπνευςον quidem γραφην dicit [b], ſed γραφην Vet. Teſt. magna ex parte *propheticam*. Sancti Patres vero iam his, iam illis expreſſionibus vtuntur, dum de diuina Scripturarum origine mentionem iniiciunt, ipſumque Concilium Tridentinum *Sacros* et *canonicos* libros Veteris Nouique Teſt. adpellare ſat habuit. [c]

a V. Simonii Nouv. Obſ. P. I. Chap. III.

b II Tim. III, 16.

c Verba decreti (Seſſ. IV.) ſunt: *Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus — pro Sacris et canonicis non ſuſceperit — anathema ſit.*

§. 264.

§. 264.

Singula verba, ſingulas phraſes, ſententiasque a Deo edoctos eſſe ſcriptores S. nemo hodie defendit Theologus, nemo, quod ſciamus, Patrum olim defendit; vt, ſi *inſpiratum* (Θεοπνευςον) hoc velis, nouam nullisque probatam argumentis opinionem propugnes. Nam quod in voce Θεοπνευςος, qua Paullum vſum fuiſſe mox diximus, haeſerint quidam, in eo manifeſte nominis etymologia decepti ſunt, Paulloque *hebraeo* ſcriptori ſenſum ſuppoſuere, de quo illi in mentem non venit.

§. 265.

Vno verbo diſtincte noſtra ſententia enarrari nequit, qui ſenſus *inſpirationis* vocabulo, quo tanto conſenſu vtuntur, qui argumentum iſtud tractant, ſeu ex Scriptura, ſeu ex Patribus tribuendus ſit. Quamobrem ne temere legem ſcribamus aliis, ſat habebimus argumenta adtuliſſe, quae inſpirationi fauere poſſunt.

§. 266.

Et quod quidem Veteris T. ſcripta adtinet, quae ex libris propheticis in N. T. laudantur teſtimonia, πνευματι, πνευματι ἁγιῳ, quin Deo quoque tribuuntur. [a] Paulus

lus γραφην vniuerſam θεοπνευςον II Tim. III 16. pronunciat. [b] Quae quidem ex parte illuſtrari firmarique poſſunt iis, quae ex Philonis Joſephique ſcriptis adtulit Eichhorn et ex ſcriptis Judaeorum antiquis collegere alii. [c]

a Matth. I, 22. II, 15. XXII, 43. Act. I, 16. IV, 25. II. Pet. I 19—.

b Nobis equidem hie loeus extra controuerſiam et ad V. T. ſcripta, et ad non prophetica quoque, vt vt κκι forte omittendum ſit, pertinere videtur.

c V. Wetſtein ad Matth. XXII, 43.

§. 267.

Paullo implicatior de N. T. libris quaeſtio eſt. Vbi primum partem dogmaticam ab hiſtorica et prophetica, Apoſtolicos deinde Scriptores a reliquis Marco et Luca, Paulloque etiam ſeparare oportebit. Et doctrinam quidem inſpiratam eſſe ſuadere poſſunt Matth. XXVIII, 19. Marc. XIII, 11. Luc. XXI 13. Pet. I Cap. I, 12. Joa. XIV 16. 17. 26. XV, 26. 27. XVI 13—16. Quae quidem Joannis loca maioris etiam momenti videri poterunt, ſi ſunt Gnoſticis oppoſita. Pro Paulli doctrina faciunt I Cor. II, 10—Gal. I 11, 12. II Pet. III, 16. coll. II Tim. III, 16. Apocalypſeos denique auctoritatem ſta-

ſtabiliunt praeter alia Apoc. I 1. 3. XXII, 18 —.

§. 268.

Hiſtoriam ea parte, qua ad doctrinam ſpectat, ab errore immunem praeſtare videntur, quae mox adtulimus, niſi quod de Marco et Luca dubium ſupereſt, de quibus ipſis conſtabit, ſimul atque de fide eorum hiſtorica conſtiterit. Reliquam hiſtoriam quod adtinet, eam adiutore deo conſcriptam, tota, quod nemo negat, catholica antiquitas credidit, cuius quidem perſuaſionis origines ad Apoſtolica referunt tempora non noſtri modo, ſed exteri quoque Theologi. *

* Non omnes, de inſpiratione enim ipſa dubitare incipiunt aliqui.

§. 269.

Simile iudicium iidem Theologi de Marco Lucaque ferunt. Et vero quanto conſenſu, ſcripta Apoſtolorum, tanto horum amplexa, et venerata eſt eadem illa antiquitas. Quod ſi aliter haberet, commendaret ſeſe hiſtoria horum ſcriptorum ipſo conſenſu cum caeteris, candore animi amoreque veri, quem ſpirat, Petri poſtremo, Pauli, Joannisque auctoritate,

qui vulgantibus Marco Lucaque fua fcripta adhuc in viuis erant, quibusque inſciis tam vnanimi conſenſu a primis Chriſtianis procul dubio non recipiebantur.

§. 270.

Poſt haec commemorant Theologi iudicium noſtrae, et exterarum eccleſiarum, praeſens Numinis auxilium, quod primis doctoribus Religionis in omnibus adfuit, quae Religionis cauſſa fuſcepere, et quod Marcum Lucamque adtinet, artiſſimam vitae Societatem, quam cum Apoſtolis vterque coluit; quae argumenta, licet rem apud exteros non conficiant, ſummi tamen momenti, quin decretoria (de auctoritate Eccleſiae dicimus) apud noſtros ſemper ſunt habita.

CAPUT IV.

De Sermone, quo conſcripti ſunt libri S. itemque de librorum diuiſionibus, interpunctionibus caet.

§. 271.

Libros Noui Teſt. (nam de his vnice quaeſtio eſt) graeco ſermone omnes conſcriptos eſſe, magno olim conſenſu defenderunt Pro-

te-

teſtantes Theologi, ſed leuibus ducti rationibus. Matthaei quidem Euangelium hebraica dialecto ab Euangeliſta exaratum eſſe, teſtantur Papias [a], Irenaeus [b], Origenes [c], Euſebius [d], atque vt caeteros taceamus Hieronymus, quos teſtes hac in re fide dignos eſſe, nemo noſtra opinione recte negauerit. [e]

a Apud Euſeb. lib. III. Cap. XXXIX.

b Apud eundem lib. V. Cap. VIII.

c Tom. I. comment. in Matth. in praef.

d Lib. III. Cap. XXIV.

e V. Rich. Sim. Hiſt. Crit. Text. N. T. Cap. VII. Michaelis Einl. §. 127 —.

§. 272.

Paulli epiſtolam ad Hebraeos hebraico ſermone conſcriptam eſſe, teſtimonia Clementis Alex. [a], Euſebii [b], Hieronymique ſuadent, et ſi teſtimoniis hiſce non deferendum, ipſa ſtili diuerſitate, eoque etiam, quod ad homines in Palaeſtina degentes epiſtola data ſit, vti nobis quidem poſt Noeſſelti quoque dubia [c] perſuaſum eſt, conuinci videtur. [d]

a Apud Euſeb. lib. VI. Cap. XIV.

b Lib. III. Cap. XXXVIII.

c Opuſculorum ad interpretat. Sacrarum ſcripturarum Faſc. I. de epiſt. ad Hebr.]

d V. Michaelis Erkl. des Briefes an die Hebr. Einl.

§. 273.

Graeco ſermone caetera omnia conſtare, ſatis conſentiens eruditorum opinio eſt, vt quae de latino Marci, Syriacoque Joannis textu commenti ſunt nonnulli, ne examine quidem digna nobis eſſe videantur.

§. 274.

In hebraeo ſermone, quo Veteris Teſt. libri plerique omnes exarati ſunt, quaerunt. quo characterum genere antiqui hebraeorum ſcriptores vſi ſint, quae, vt facile patet, non inutilis quaeſtio eſt. Phoenicioaegyptiaco charactere ſcripſiſſe antiquos hebraeos, veroſimile faciunt rationes ab Eichhornio allatae. * Qui quadratum Chaldaeorum characterem inde ab origine adhibitum fuiſſe ſtatuunt, infirmis ferme rationum momentis ſententiam ſuam propugnant, aduerſantemque habent veterem traditionem, quae docet, poſt captiuitatem Babylonicam demum id characterum genus vſurpatum fuiſſe **; quae quidem traditio, cum ſuapte veroſimilis ſit, cur repudiari debeat, non adparet.

*

* V. Einl. ins A. T. §. 65 et 66.

** V. ibid. §. 67. item Rich. Simon Hiſt. Crit. V. T. Lib. I. Cap. XIII.

§. 275.

Vna porro continuatione ſcriptos libros ſeu hebraeos V. ſeu graecos N. T. nulloque inter voces relicto interuallo, metricis V. T. libris, ſaltem plerisque, non exceptis, et antiqua ſcribendi ratio et varietas lectionis ex vocum mala diuiſione frequentiſſime orta euincere videtur. *

* V. Eichhorn Einl. ins A. T. §. 73 — 76. Montfaucon Palaeograph. Lib. I. Cap. IV. p. 32.

§. 276.

Diuiſiones in *Capita* et *Verſus* redarguunt multa. Ipſa primum conſuetudo antiquorum temporum, quae eiusmodi diuiſiones non habuit: argumentum dein librorum, quod in partes concidi fruſtaque non amat: ineptiſſima poſtremo, quae hodie obtinet, capitum et verſuum diſtributio. Quam quidem ab Hugone Carenſi Seculi XII Scriptore quoad capita, quoad verſus a Roberto Stephano profectam in vulgus notum [a]; niſi quod de Hugone dubium remanet. Iam antea d. Hieronymus verſionem latinam Vet.

Teſt.

Teſt. in *cola* et *verſus* tribuerat [b], quod antiquariorum exemplo fecit. Quo vero tempore in hebraea exemplaria, vſitata verſuum diſtinctio inducta ſit, incertum habetur. [c]

a V. Michaelis Einl. §. 119.

b V. Eichhorn Einl. §. 77.

c V. Richard Simon Hiſt. Crit. Vet. Teſt. Lib. I. Cap. XXVIII.

§. 277.

Diuiſionum quoddam genus in vtroque Codice S. antiquiſſimis iam temporibus obtinuiſſe, ſatis conſtat. *Paraſchae*, in quas tribuuntur quinque Moſis libri, procul dubio ortae breui poſt capitiuitatem Babylonicam tempore, cum in Synagogis libri hi publice legerentur. *Haphtharae*, quibus Prophetarum ſcripta diſtinquuntur, veroſimiliter originem ſuam debent lectioni publicae Prophetarum, quae inde a temporibus Antiochi Epiph., qui lectione librorum Moſis interdixit, frequentabatur. *

* Richard Simon loc. cit. Eichhorn §. 78 et 79.

§. 278.

In ſcriptis exemplaribus N. T. antiquiſſimis occurrunt *αναγνωσματα*, *τιτλοι*, *κεφαλαια*, *ῥηματα* et *στιχοι*, quae quidem diuiſionum genera his ipſis exemplaribus multo antiquiora eſſe, partim ex lectionibus publicis primis iam eccleſiae temporibus in conventibus eccleſiaſticis fieri ſolitis *, partim ex Euſebii decem Canonibus colligitur; quanquam his ipſis antiquiora eſſe Richardus Simon ex Veterum teſtimoniis, non ſat certis, defendit. **

* Juſtin. Apolog. II. p. 98. edit. Pariſ. 1636.

** Hiſt. Crit. Text. N. T. Cap. XXXIII. Vid. etiam Michaelis Einleit. §. 117 et 118.

§. 279.

Inter *τιτλους* et *κεφαλαια* hoc diſcriminis intercedere, quod illi maiorem, minorem haec portionem contineant, ſcripta exemplaria docent; ex quibus illud quoque verosimile fit, quod defendit Simonius, *ῥηματα ſententias* notare, vti *στιχους* definitum litterarum numerum. Neque tamen putandum, eodem vbique modo *τιτλους* et *κεφαλαια*, *ῥηματα* et *στιχους* conſtitutos fuiſſe; diuerſum enim horum omnium numerum diuerſa exemplaria exhibent. Et illud monendum,

non

non constantem τιτλων et κεφαλαιων adpellationem esse, et κεφαλαια aliquando dici, quae alibi τιτλοι audiunt, quod obseruante Simonio * in elencho libris praemisso fieri consueuit.

* Loc. cit.

§. 280.

Diuisiones hae, de quibus adhuc dictum, primum quidem in solis Euangeliorum libris obtinebant, sed paullo post traductae sunt a Theodoro Mopsuestheno, vti suspicatur Millius *, ad epistolas Paullinas, et deinde ab Euthalio ad Acta Apost. et epist. Catholicas, nisi id iam antea a Pamphilo factum. **

* In Proleg. n. 905.

** V. Ernesti Interpres N. T. P. II. Cap. I. §. 17.

§. 281.

Alia quaestio oritur hic, ad libros V. T. pertinens, de punctorum vocalium antiquitate, magna superiori seculo contentione agitata; qua quidem in quaestione in utramque partem, vti ferme fit, peccatum est. Falsam enim esse eorum opinionem, qui cum Buxtorfiis de punctorum antiquitate in

ge-

genere pronunciant, oſtendunt antiquae verſiones, quarum diuerſitas multis in locis exemplar non punctatum arguit; refellit deinde opinionem hebraicus Origenis textus, graecis litteris ſcriptus, cuius punctatio a ſolita paſſim diſcedit; ipſeque etiam d. Hieronymus punctationem, qualis hodie obtinet, ignoraſſe penitus videtur.

§. 282.

Sed nimium quoque eſt, quod poſt Capellam adſeruere alii puncta vniuerſim refutantes. Hinc inde enim, in locis maxime paullo difficilioribus, adhibita fuiſſe puncta ſuadet phoenicio - aegyptiacus character, quo antiquitus vſos fuiſſe hebraeos mox ſupra diximus, analogiaque Dialectorum, quae punctis penitus deſtitutae numquam fuere. Denique Hieronymi et Talmudis quaedam loca nimium manifeſte Capelli ſententiam redarguunt. *

* Legendus hac de re Eichhorn §. 68. ſeqq. qui ſcripta quoque nominat, ex quibus plenior huius rei notitia peti poteſt; quibus vtiliter iungi poterit Simonii hiſt. Crit. V. T. Lib. I. Cap. XXVII. et Trendelenburgi diſſertatio de tribus punctis vocalibus apud antiquos hebraeos vſitatis. V. Repertorium für Bibl. und Morgenl. Litteratur P. XVIII. p. 78 —.

§. 283.

§. 283.

Quam vero probabile nobis iſtud videtur, tam nullis argumentis confirmatum eſt, quod in accentuum gratiam a Philologis quibusdam diſputatur; quos quidem non minus, ac ſigna diacritica quae dicunt *Dageſch forte* nimirum et *lene*, *Mappik* caet. ad Maſoretharum tempora ablegandos eſſe res ipſa loqui videtur. *

* V. Rich. Sim. hiſt. Crit. V. T. Lib. I. Cap. XXVIII. Eichhorn Einl. §. 71 et 72.

§. 284.

Non multo aliter de *interpunctionibus*, *ſpiritibus* et *accentibus*, in graeco N. T. textu adhiberi ſolitis, ſtatuendum fuerit. Haec enim ſigna grammatica a ſcriptoribus Sacris adhibita fuiſſe, nullo ſat probabili argumento adhuc euictum eſt; et ſi adhibita fuiſſent, eorum aegre veſtigium hodie ſupereſſe poſſet, quum, vti omnes norunt, in ſcriptis codicibus antiquioribus nullus ſignorum eiusmodi vſus adpareat. *

* V. Michaelis Einl. §. 109 et ſeqq.

CA-

CAPUT V.

De Archetypis librorum Sacrorum.

§. 285.

Archetypa librorum S. hodie nulla haberi, eruditi facile omnes consentiunt. Quae enim fuit olim quorumdam opinio de Marci Euangelio Venetiis adseruato, eam et Laurentii a Turre epistola *, et fragmentum Pragense a Dobrowsky Viro doctissimo editum ita confutat, vt dubii nihil superfit. **

* Extat in Blanchini Euangeliario quadruplici Versionis antiquae latinae. P. II. Vol. I. p. 534.

** V. Michaelis Einl. §. 138. et Orient. Bibl. P. XIII. p. 109 — ipsumque fragmentum Pragae editum.

§. 286.

De tempore si quaeris, quo archetypa perierint, incertum responsum est. Et ea quidem Veteris Test. tum demum periisse, cum flammis templum exustum est, omni ex parte dubia traditio est *, vt vt Mosis libros diutius conseruatos, quod II Reg. XXII, 8. II Chron. XXXIV, 14. narratur, verosimile faciat.

* V. Eichhorn §. 3.

§. 287.

Illud idoneo argumento nullo probari poteſt, libros ante captiuitatem Babyloni-cam ſcriptos omnes, exemplo librorum Moſis *, ad arcae latus collocatos eſſe; et ſi certum foret, non magis de diuturna archetyporum plerorumque aetate conſtaret, cum archetypa nonnulla ſimul cum auctore libri expirare debuerint. **.

* V. Moſ. XXXI. 9. 26.

** V. Eichhorn §. 87. n. 2.

§. 288.

Ea ipſa archetypa, quae forte poſt captiuitatem ſupererant, non diu conſeruata fuiſſe, character chaldaicus in characteris priſci locum ſuffectus dubitare vix ſinit.

§. 289.

Et non adparet, quem vſum praecipuum habere potuerint archetypa rudi illo incurioſoque rerum criticarum aeuo; vt mirum eo minus videri debeat, ſi eorum conſervandorum minus tum quidem ſtudioſi fuere homines.

§. 290.

De archetyporum N. T. fatis haud multo certiora sunt, quae disputant eruditi quidam. Ignatii aetate superfuisse adhucdum, ex epistolae eiusdem ad Philadelphios testimonio * euincere volunt; quo tamen loco de V. T. exemplaribus rem esse, verosimilibus admodum argumentis defendit Griesbachius.**

* Extat Cap. VIII.

** In Hist. Text. Paul. Sect. II. §. 4.

§. 291.

Minus etiam ex Tertulliani loco, quo *authenticas* Apostolorum litteras commemorat [a], confici potest. De *genuinis* enim *et a nullo haeretico deprauatis exemplaribus* Tertullianum dicere, idem Ven. Griesbachius ex toto contextu ita euincit [b], vt dubii nostro iudicio nihil supersit. Et vero, si vel maxime archetypa adpellaret Tertullianus, testimonio eius in tanto Veterum silentio, Origenisque cumprimis [c], aegre adsurgendum esset.

[a] Lib. de praescript. haeret. Cap. XXXVI.

[b] Loc. cit. §. 5.

[c] Ibid. p. 50.

§. 292.

Magis nos semper mouit Chronici Alex. auctoritas, vbi antiquus scriptor seculi IV., Petrum Alex. putant, lectionem τριτη Joh. XIX. 14. defendens ad exemplar ιδιοχειρου Johannis, quod ad sua vsque tempora in Ephesina ecclesia adseruatum sit, prouocat; quanquam et hoc testimonium silentio Veterum, ipsa rei insolentia, dubiaque Petri auctoritate, quem non IV. sed VI. seculi Petrum esse, Alexandrino Antistite iuniorem, viri docti defendunt, eleuari existimant. *

* V. Rich. Simon hist. Crit. Text. N. T. Cap. IV. Michaelis Einl. §. 37.

§ 293.

Quaerunt hoc loco, qui factum, vt, cum tam religiose haberent veteres Christiani scripta sacra, archetypa non diutius persisterent; periisse enim breui, ex iis, quae adhuc diximus, sit admodum verosimile. Et Euangeliorum quidem libros non diu conseruatos esse, non valde mirum fuerit; sed de epistolis difficilius multo intelligitur. Persecutionem Docletianam isthic qui commemorant, ii non expendunt, incertum admodum esse, num hoc etiamnum tempore archetypi codices superstites fuerint.

Vero-

Verosimiliores multo nobis causſae videntur, quas Griesbachius adtulit *, post *Apostolum* nimirum, hoc est Apostolicarum epistolarum collectionem, minorem singularum epistolarum curam fuisse; criticas quaestiones vel nullas primis ecclesiae temporibus excitatas esse, vel facile sine archetypis terminandas; homines denique viua Apostolorum institutione vsos, traditioneque secutis quoque temporibus vbique confidentes anhetypa adire compellareque nihil admodum necessum habuisse. Quo accedit nostro iudicio, propria Apostolorum manu non omnia perscripta esse, materiemque etiam scribendi forte minus durabilem adhibitam fuisse. **

* In hist. Text. Paul. Sect. II. §. 7 et 8.

** V. etiam Michaelis Zusätze und Veränderungen der 4ten Ausg. von seiner Einleitung. p. 29.

CAPUT VI.

De Codicibus scriptis eorumque vsu.

§. 294.

Cum archetypa librorum Sacrorum, vt modo vidimus, haud ita diu perstiterint, ex scriptis exemplaribus aliis sumendus

facer

facer textus fuit, cum de editionibus superioribus seculis cogitatum; sumendaque etiam hodie non pauca, vbi de lectionum sinceritate examen instituitur. Quamobrem de Codicibus Mmss. nunc praecipiendum erit.

§. 295.

Optandum quidem esset, vt de Codicum, qui supersunt, et numero, et pretio sat certo constaret. At vtrumque magnis ad hunc vsque diem difficultatibus obseptum est. Et quanquam Codices sacrorum foederis vtriusque librorum non pauci, immo quam plurrimi hucusque a Viris eruditis detecti sunt, latent tamen oppido multi. Quod cum de codicibus N. T. verissimum est, tum est verius etiam de codicibus Veteris, quorum et non magna copia est, si tempus, quo primum editi sunt libri V. T., spectes *, et minor etiam, si diuersarum recensionum Textus rationem habeas. **

* V. Michaelis orient. Bibl. P. XI. p. 86—.

** Ibid. P. XVIII. p. 113—.

§. 296.

De indole pretioque codicum non minus, quam de numero, laboratur. Nam co-

Codices Veteris Teſt., hoc eſt hebraei, paucis demum abhinc annis paullo diligentius excuſſi ſunt, vt quid ſtatuendum de ſingulis ſit, ſummi etiam Critici ignorent. Neque iudicium hocce, qui rem tenet, ab iis expectabit, qui codices contulere; niſi quod hinc inde nos monere poſſunt, quae vtilem inueſtigandi materiem ſuppeditent. *

* De codicibus hebraeis videnda Jo. Chr. Wolfii Bibliotheca Hebr. P. II. Koecheri Nov. Bibl. Hebr. Waltoni Prolegom. proleg. IV. n. 8. et ſeqq. Kennicotti Diſſertationes duae ſuper ratione textus hebr. Diſſertatio item generalis, quae extat Tomo Bibliorum II., ſeparatim quoque edita a Brunſio. de Roſſi Adparatus Hebraeo-biblicus Romae 1782. cum Prolegomenis Tomo I Variarum Lectionum, et diſſertatione praeliminari Tomo IV. Claui item et Catalogis codicum Tomis ſingulis praemiſſis. Paucos quosdam Codices diligentius deſcriptos, Regiomontanos nempe duos et Caſſellanum, primos Lilienthalio (Commentatio Critica caet. Regiomonti et Lipſ. 1770.), alterum Schiedio (Biga obſeruationum Sacrarum 1748.) et Jo. D. Michaelis (Orient. Bibl. P. I. et ſeqq. V. etiam P. XX. p. 72.) debemus.

§. 297.

Paullo melius rectiusque Codicum N. T. indolem rationemque perſpectam habemus, vtpote quos a prima librorum Sacrorum

editione non tanto temporis interuallo disiunctos, numeroque etiam potiores acutius rimari ipsi variarum lectionum editores potuere, acutiusque postmodum, multiplici vsu adiuti, nouis etiam subsidiis ditati, vel ad incudem reuocantes vetera, rimati sunt viri quidam eruditi. Sed id paucis ferme codicibus contigit et sunt in his quoque plurima adhuc obscura. **

* V. Michaelis Orient. Bibl. P. XI. p. 86—.

** De Codicibus graecis praeclare meriti sunt Rich. Simon. in Hist. Crit. Text. N. T. Cap. XXX et seqq. item Nouv. Observ. sur le Texte et les Vers. Chap. II. Millius et Wetstenius in prolegomenis. Bengelius in Introductione in Crisin. Semlerus in seiner Vorbereitung zur Theolog. Hermeneutik, Halle 1760 — 69. (V. Griesbach Hist. Text. Paullini. Sect. I. §. 9.) Griesbachius in Symbolis criticis. Halae 1785. Matthaei in N.T. ex Cod. MSS. Mosqq. Codices Vindobonenses descripsit Treschovius in Tentamine descriptionis Codd. caet. Havniae 1773. In Alteri N. T. ad Codicem Vindobonensem expresso deest catalogus Codicum, quem dabit Michaelis Neue Or. Bibl. P. V. p. 122 —. De Codice Vaticano aliisque Codicibus Romanis Vid. Or. Bibl. P. XXIII. p. 138.

§. 298.

Itaque non nisi generalia et summa quaedam praecepta de scriptis codicibus tradere postu-

poſſumus, eaque dubia magis, quoad codices hebraeos ſpectat. Atque vt de his primo ſtatim loco dicamus, mirum videri poteſt, nullum ex tanta antiquitate ad hunc vſque diem protractum in lucem eſſe codicem, qui decimum ſeculum ſuperet. * Cuius quidem rei cauſſas ſuperſtitionem Judaeorum, neglecta cum reliquis Critices ſtudia, punctationis hodiernae rationem tum demum ad finem, vti nonnullis videtur, perductam, veterisque forte characteris immutationem, atque ex hac enatam priſca exemplaria legendi difficultatem commemorant. **

* Aliter de Roſſi ſentit, qui in Adparatu ſuo Hebraeo-biblico ad Cod. 120. Codices IX Seculi commemorat, huncque ipſum Cod. 120. (Tom. I Var. Lect. inter Codd. Bibl. Auct. 634.), qui eſt fragmentum quoddam Leuit. ac Num., ad VIII Seculum, ſed incertis argumentis, refert.

** V. de Roſſi Tom. I Var. Lect. Proleg. P. I §. 15. Michaelis Or. Bibl. P. XVIII p. 103.

§. 299.

Inde vero ſequitur, vt quoad antiquitatem ſpectat, diuerſum admodum de graecis et hebraicis Codd. iudicium ſit. Nam quos graecos medii aeui ferme dicimus, Seculi nimirum X. XI. XII. et XIII., hi ſi de hebraeis ſermo, antiquiſſimi merito habentur. Itaque magnae antiquitatis, vt de

Roſſianum fragmentum ſileamus, Codex Vindobonenſis apud Kennicott 590., qui, ſi indubia eſt aera Codicis (vtor verbis de Roſſi) et ad aeram contractuum neceſſario referenda, eſt anni 1018 vel 19. Magnae item antiquitatis Codex Laud. 172. apud Kennicott cod. 1., quem ipsorum 800 annorum iudicat ipſe Kennicott. Item Codex apud de Roſſi 503. ipſo iudice IX. vel X. Seculi, qui mutilus Pentateuchum continet. Codices Malateſtianus ac Mediceus apud Kennicott 536 et 162, quos de Roſſi ad XI Seculum refert. Codex apud Kennicott 39. ibid. E. N. 627. ipſo iudice anni 1100, quem tamen Brunſius " ad initium XII., de Roſſi ad init. XIII Seculi refert. Codex apud Kennicott 527. Bibliothecae Dominicanorum Bononiae pro Esdrae autographo olim venditatus et hinc in ſacrario inter reliquias adſeruatus Brunſii et Kennicotti iudicio XI. vel XII., XIII. vero ſeculi iudicio de Roſſi. Codex Vindobonenſis alter apud Kennicott 591. iudice ipſo et de Roſſi ſub init. XII., ſed Adlero iudice ſub initium XIII. ſeculi ſcriptus. Codex Caſſellanus apud Kennicott 157. iudice Schiedio [b] et Michaelis XI. Seculi. [c] Codex denique apud Kennicott 597. Monaſterii Gottwicenſis Seculi XIII. exeuntis. Caeterum duodecimi et ſequentium ſeculorum ſat copioſos haberi codices monet de Roſſi. [d]

a In differt. generali.

b In biga obseruationum Sacrarum.

c In der Or. Bibl. P. I. p. 223.

d V. Kennicott Dissertatio generalis. de Rossi Clauis Codd. et Proleg. P. I §. XVI. Mentionem non iniecimus de Codicibus Rabbinicis, de Codice nempe Hillelis, Cod. Ben Ascher, qui etiam Palaestinus siue Hierosolymitanus, vt et Ægyptius audit, de Cod. Ben Naphtali siue Babylonico, Cod. Sinai, Pentateucho denique Hierichuntino, quorum partim incerta, partim fabulosa aetas, codicibus forte Ben Ascher et Ben Naphtali, vndecimi Seculi Masoretharum, exceptis. (V. Waltoni Proleg. proleg. IV n. 8. et seqq.) Codicis Hilleliani exemplar possidet de Rossi, vti et cuiusdam, qui in subscriptione dicitur allatus e regione Babyloniae (V. Tom. I Var. Lect. Catalogum MSS. Biblioth. Auct. n. 12. et 413.).

§. 300.

Sunt vero in his Codicibus antiquioribus, et vero etiam in iunioribus quidam inprimis nobiles ob lectiones singulares, quales, vt paucos nominem, Cod. 1. (vtor signis Kennicotti,) Laud. 172. Cod. 39., quem ob quasdam lectiones eidem cum recentioribus et malae notae codicibus communes immerito parui facit Brunsius. Cod. 157. Cassellanus, omissionis tamen

pec-

peccato laborans. Codd. 223. et 224. Regiomontani. Cod. 225. Romanus. Cod. 590. Viennenſis. Codex denique 597. Monaſterii Gottwicenſis, necdum, vt multi alii, ex integro collatus. *

* V. Kennicotti Diſſert. generalis. de Roſſi Clauis et catalogi Codd. Lilienthalii commentatio critica. Schiedii Biga obſeruationum S. Michaelis Or. Bibl. P. I et ſeqq. Item P. XX p. 54 — P. XXII p. 145—.

§. 301.

Peculiarem mentionem merentur Codices Hebraeo-Samaritani, qui cum textum exhibeant antiquiſſimum [a], neque ex textu Maſorethico, vel Verſione LXX., quod volunt aliqui interpolatum [b], multoque minus corruptum a Doſitheo [c], egregie aliquando criticum adiuuare poſſunt; quanquam dolendum, paucos ferme, eosque non valde antiquos in noſtras terras ex oriente allatos eſſe. [d] Et illud iſthic non diſſimulandum, quod monet in Orientali Bibliotheca Michaelis [e], Samaritanas lectiones non paucas ab audaci coniectore profectas eſſe, vt vulgaris textus eius iudicio in plerisque Samaritano praeſtet. [f]

a V. Eichhorn Einl. §. 383 et 384.

b Ibid. §. 385 et 387.

c Ibid. §. 386. et Brian. Walton. Proleg. proleg. XI. n. 11. lege quoque n. 14. et seqq.

d Eichhorn Einl. §. 378 et 381.

e P. XXI p. 177. et P. XXII p. 185.

f De Codicibus Sinensibus qui vult cognoscere, adeat Eichhorns Einl. §. 376.

§. 302.

Adtentione digni sunt Codices hebraeo-latini, quibus nempe adiunctae vna vel plures versiones latinae, quales Michaelis octo numero nominat[a]; nempe 38. (Kennicotti numeri sunt) 69. 72. 73. 74. 77. 97. In quibus sunt quidam cum tribus versionibus, vti 73 et 97. Vbi quaeri potest de versione latina, qualis sit, et de fide quoque codicum, cum suspicio sit, eos e Vulgatae forte textu interpolatos esse. Et primum quidem quod adtinet, constat de Codicibus 72 et 73., eos versionem Vulgatam habere, nisi quod in postremo praeter Vulgatam aliae duae sint, quae a Vulgata eo vno differunt, quod hinc inde ex hebraeo emendatae videantur.[b] De Codice 313. aeque parum dubitat Brunsius[c], quin Vulgatam versionem contineat, sed eodem modo immutatam. De caeteris Codicibus necdum constat, cum diserte non edixerit Kennicott. Fides quoque horum codicum adhuc dum

du-

dubia, nisi quod codices mox laudati 72. 73. et 313. integros suspicionisque puros se praestant. [d]

a In Bibl. Or. P. XX. p. 96.

b Ibid. P. XXII. 180—.

c In Differt. generali.

d Or. Bibl. P. XXII. p. 153 et 180—.

§. 303.

Venimus ad Codices Hispanos, Italos et Germanicos, qui hodiernos Criticos inter sese committunt, quum sint, qui Hispanos, et qui ex aduerso Italos germanicosque praeferant. Primum facit Brunsius [a], sed immerito, vti videtur, quum Codices Hispani, qui emendatissimi vulgo habentur, eo ipso nomine suspecti euadant, quippe ad Masorae leges, Hillelisque parum adcuratum codicem reficti. [b] Vnde Germanici Italique obseruantibus de Rossi et Michaelis longe plures bonas lectiones suppeditant, quam Hispani. Ipse Kennicottus, quum primum Hispanis Codd. deferret, mutata postmodum sententia hosce prioribus posthabuit. [c]

a In Oratione quam inscripsit: De eo quod praestandum restat in litteris Orientalibus. Helmst. 1781. p. 8.

b V. de Roſſi Diſſert. prael. Tom. IV. Var. Lect. p. XI.

c V. Or. Bibl. P. XX p. 98 — de Roſſi Proleg. P. I §. XIX. vbi ſimul diſcrimina Hiſpani Germanici et Itali characteris expoſita deprehendes. Specimina characteris Hiſpani dedit Brunſius in diſſertat. generali.

§. 304.

Simili de cauſſa minoris faciendi videntur codices voluminum forma, vt de Roſſi verbis vtar *a*, vel communi forma librorum ſynagogarum vſibus deſtinati, vel puerorum inſtitutioni et exercitio *b*, et in genere codices Maſorethici *c*, quum de Maſorethicis lectionibus etiam ſine his conſtet.

a Proleg. P. I p. XII.

b V. Kennicotti Diſſertatio generalis ex edit. Brunſii p. 6.

c Inane eſſe diſcrimen inter Codices Maſorethicos et Amaſorethicos nobis non perſuadet Eichhornii ratio (V. Einl. §. 374.)

§. 305.

Suſpecti alio ex capite eſſe debent codices ſcripti a Judaeis, qui ad Chriſtiana Sacra tranſiere, quales Codd. apud Kennicott 28. 93. 514. 649. *a*; quibus in codicibus

ſolli-

ſollicitari omnino textus hebr. ab homine *Exjudaeo* potuit, vbi a Vulgata, vel etiam a LXX diſcedit. Quo quidem nomine ſuſpectum habet Cod. 93. Brunſius [b] et Cod. 649. Michaelis. [c] Sed res omnis vlteriori examine indiget.

a V. Eichhorns Einl. §. 365. n. 1.

b In diſſertat. generall.

c In Bibl. Or. P. XX. p. 95.

§. 306.

Notanda Codicum adfinitas, quae aliquando argumento eſſe poteſt, vnum codicem alterius apographum eſſe, aut ad eandem cum altero familiam pertinere, vt in ferendo teſtimonio non maior ſit plurium, quam ſingulorum auctoritas. Eiusmodi adfinitatem detexit Brunſius * inter Codices 28. 30. 72. 93. 96., quibus *iungitur*, vt ipſius verbis vtar, *haud raro* 154. *inprimis in Ezechiele, quod*, ſubiungit, *codici huic antiquo non magno eſt honori.* Codices 93 et 96, porro dicit, *adeo ſaepe conſpirant, vt parum abſit, quin putem alterum ab altero deſcriptum eſſe.* De Codice 150. monet, eum ſaepe conſentire cum Codice 309. Plura dabit, quod ſperat de Roſſi **, poſt collectam tam diuitem ſupellectilem criticam, diligentior codicum collatio.

*

* In Dissertat. generali.

** V. Dissertat. prael. Tom. IV. Var. Lect. p. XVI.

§. 307.

Probe tenendum, Codices paucos complecti totum scriptorum corpus, plerosque non nisi partes, Pentateuchum nimirum, Prophetas priores [a], posteriores [b], Hagiographa [c], Meghilloth [d], Haphtaroth [e]; partem vnam pluresue, e. g. Pentateuchum solum, vel hunc et Meghilloth, item Pentat. Megh. et Haphtaroth caet. Singulos porro libros veluti Esther, Hiob, Pſ., Prov., Jes., Jerem., Ezech. Item aliquot coniunctim e. g. Hiob et Cant., vel Pſ. Hiob et Prov. caet. continere. Et illud memoriae commendandum, Lacunosos alicubi esse codices, fragmentaque aliquando potius, quam libros exhibere.

[a] Sunt Josue, Judices, Libri Samuelis ac Regum.

[b] Jes., Jerem., Ezech., XII minor.

[c] Psal., Prov., Hiob., Cant., Ruth., Thren., Ecclesiast., Esther., Daniel, Esd., Nehem., Chron.

[d] Cant., Ruth, Thren., Ecclesiast., Esther.

[e] Sunt sectiones Prophetarum, quae sectionibus Pentateuchi respondent, et in Synagogis legun-
tur.

§. 308.

Fragmenta eiusmodi ex *Ghenizoth*[a] eruit de Rossi.[b] Plura latent in Bibliothecis, Editionum veterum et Codicum MSS. tegumentis adglutinata, qualia in Bibliotheca Mellicensi quoque non pauca reperire est.[c]

a Gheniza est publicus, Codicum absconsioni ac veluti sepulturae destinatus locus (de Rossi Proleg. P. I §. XV).

b V. Eiusdem Adparatus Hebraeo-biblicus ad Cod. 120.

c Excerptas lectiones varias ex fragmentis eiusmodi deprehendes in Michaelis Bibl. Orientali.

§. 309.

Vt de graecis N. T. Codicibus nunc dicamus, sunt in his maiori multo antiquitate conspicui, quam hebraei, Vaticanus, Alexandrinus[a], Codex C. siue Regius Parisinus nunc 9., *rescriptus*, quae sunt verba Griesbachii[b], *Ephraemi Syri opuscula nonnulla graeca continens, sub quibus latent ab antiquissima manu charactere perquam eleganti scripta fragmenta Veteris aeque ac N.T. graeca; Codex omnium fortasse, quorum lectiones Wetstenius collegit, vetustissimus.* Codex D. seu Cantabrigiensis[c], quem copiose describit Wetstenius[d], et omnium forte

forte antiquissimum esse, non abnuit. [e] Codex L. Stephani octauus Bibliothecae Reg. nunc 62., qui initio iam Seculi VII Alexandriae fuisse inspectus, non inuito eodem Wetstenio[f] dicitur; sed seculi IX. eum esse ex charactere arguit Griesbachius [g], qui diligentius multo atque Wetstenius codicem examinauit. Denique Claromontanus, Sangermanensis, Augiensis, Boernerianus, vncialibus omnes litteris exarati.

[a] Hunc Codicem magno Criticorum bono edidit a. 1786. Car. Godofr. Woide Musei Britannici Bibliothecarius.

[b] In Symbolis Crit. p. III.

[c] Et hic Codex curante Kiplingio propediem in lucem prodibit, nisi iam prodiit (V. Neue Or. Bibl. P. IV. p. 203.)

[d] Tom. I. N. T. Proleg. p. 28. et seqq. Huius Codicis partem Claromontanum Codicem non esse obseruat Tom. II. Proleg. p. 4. Vid. etiam Griesbach Symb. Crit. p. LIV.

[e] Ibid. p. 34.

[f] Ibid.p. 41.

[g] In Symb. Crit. p. LXXIII.

§. 310.

Pretium Codicum modo enumeratorum in dubium vocat Wetstenius et post Wetstenium

nium Critici alii insignes, *latinismum* illis obiicientes; quae quidem adcusatio, licet non omnino iniusta, temeraria ex parte nobis semper visa est, nec solidis argumentis comprobata. Nunc postquam Viri doctissimi Semlerus, et Griesbachius, vt alios taceamus, de re omni luculentius exposuere *, confidenter pronunciamus, non parum falsos esse Criticos illos omnes, qui laudatos Codices in locis plerisque omnibus, in quibus consentiunt cum versione latina, ex eadem interpolatos esse statuere. **

* Primus in der Herm. Vorbereitung 3. und 4. St. alter in Symbolis Crit. praesertim in descriptione Cod. L.

** V. Michaelis Zusätze und Veränderungen der 4ten Ausgabe p. 93 — 97. et p. 105 — 107.

§. 311.

Sunt vero praeter hosce Codices non pauci alii, qui a Criticis summo in pretio habentur, quales Cod. 13. Seculi circiter XIII nunc Reg. 50. Cod. 33. nunc Reg. 14. Seculi XI aut XII ineuntis. Cod. 114. Harleianus 5540. Seculi circiter XIII. Cod. 115. Harleianus 5559. Seculi circiter XII. [a] Codex Vindobonensis Lambecii 31. [b] et 34. [c] Codex denique, vt alios nunc taceam quam plurimos, Basileensis Seculi decimi, de quo

Wet-

Wetstenius[d], *Codex est plane singularis, qui in Euangeliis plures habet lectiones variantes, quam omnes fere reliqui simul sumti.* [e]

a Vid. de his quatuor Codd. Griesbachii Symb. Crit.

b V. Or. Bibl. P. VI. p. 12. et seqq.

c V. Treschovii tentamen descript. Codd. Griesbach in Hist. Text. Paullini p. 23. hunc vnum quinque Codd. epistolarum Vindobonensibus adurata collatione dignum censet.

d Tom. I Proleg. p. 43.

e Mire depraedicat hunc Codicem Semlerus in der Herm. Vorbereitung 3. St. p. 113. et seqq. qui de caeteris quoque, vti aliis multis videndus. Vid. quoque Bengel Introduct. in Crit. N. T. §. XXXII Observ. XX. Consid. VII.

§. 312.

Tribuuntur Codices in mere graecos et graeco latinos, tales nimirum, qui adiunctam habent versionem latinam, quorum e numero sunt Cantabrigiensis, Claromontanus, Sangermanensis, Augiensis, Boernerianus caet., quos quidem omnes e latino textu interpolatos esse, iudicant cum Wetstenio alii, quorum sententiae post ea, quae Ven. Griesbachius in symbolis Criticis adtulit, accedere nullo pacto possumus. *

* Vid. etiam Michaelis Zuſätze p. 93. et ſeqq. vbi Vir doctiſſimus mutata nunc opinione latinam Verſionem e graeco textu in Codicibus graeco-latinis interpolatam eſſe ſtatuit.

§. 313.

Probe diſtinquendi codices, qui integros libros continent, ab iis, qui non niſi pericopas habent, quales ſunt, qui *Lectionaria* habent. Quo diſcrimine non animadverſo facile fit, vt teſtis ſilens pro aiente computetur.

§. 314.

Ob eamdem cauſſam memorem eſſe oportet criticum, paucos eſſe inter codices graecos, qui libros N. T. omnes complectantur; plerosque Euangelia ſola, Epiſtolas Paullinas, Catholicas cum Actis, vel Acta ſola continere, pauciſſimos Apocalypſim. Atque etiam in his lacunae multoties occurrunt, vel plane mutilus eſt codex. Quae omnia oculos coniicienti in Catalogos Wetſtenii manifeſta erunt.

§. 315.

Nomina quoque Codicum imponere poſſunt, vt, ſi diuerſimode adpellentur, diuerſos putę-

putemus; quum vnus idemque Codex mutatis dominis plura ſortiatur nomina, vt, qui olim Colbertinus fuit, nunc Regius ſit, et qui Seidelii vel Wolfiii dicitur, Harleianus quoque audiat, quod accidit Codici G. Idemque in numeris locum habet. Codex Coislinianus, qui eſt Tom. II. Wetſtenii 18., Tomo I eſt 35. [a] Codex Euangeliorum apud Wetſt. 13. fuit quondam Telleriano-Rhemenſis 56., deinde Regius 2244[b], tandem Regius 50. [b] Atque etiam diuerſi Codices iisdem numeris veniunt; Codices apud Wetſt. Tom. I 13. et 17. olim fuere Regii 2244. vterque, in quo errare pronum fuit. [c] Facilius vitatur error, cum idem numerus diſtinquitur, vt, cum duo Regii Codices 2865, qui hodie ſunt 91. et 85., adiectis alphabeti litteris ſic notantur: 2865[a]. 2865[b].

a In genere diuerſis numeris veniunt Codices apud Wetſt. primo et altero Tomo.

b Non 55, vt contra Fleiſcherum monet in Symbolis Crit. Griesbach.

c V. Symbol. Crit. p. CLIV.

§. 316.

Notanda porro Codicum adfinitas in Codicibus graecis latiſſime dominans, qua non perſpecta nullus poteſt eſſe ſat tutus codicum vſus. Certe ad Paulinas epiſtolas

triginta circiter apud Wetſt. laudari codices, qui ad eandem familiam ſiue recenſionem pertinent omnes atque adeo vnius teſtis auctoritatem haud exſuperant, his ipſis verbis monet Griesbachius. *

* In hiſt. Textus Paullini Sect. I §. 7. Vid. quoque Bengel. Introd. in Criſ. N. T. §§. 27. 29. 30. 31.

§. 317.

Idem hic ſummus Criticus in praeclariſſima ſua de hiſt. textus Paullini commentatione veroſimile admodum facit, tria eſſe ſumma genera *recenſionum*, ad quae codices graeci omnes reduci poſſint, *Alexandrinae* nimirum, *Occidentalis* et *Conſtantinopolitanae*, quarum primae duae Seculo ineunte tertio iam extiterint, poſtrema vero quarto et ſeqq. Seculis acceſſerit. *

* V. Hiſt. Text. Paul. Sec. II. §. 9—. Sect. III. §. 9 et 10. Vid. quoque Semleri Herm. Vorbereitung 3. St. §. 6. 4. St. p. 2. not. 1. Item Michaelis Zuſätze p. 97—101. vbi ad tres Griesbachii recenſiones quartam adiicit, quam *Edeſſenam* adpellandam putat.

§. 318.

Ex ſummis hiſce recenſionum generibus enaſci potuiſſe ſubalterna alia, facile intelliget,

get, qui expenderit, multiplicatis apographis aliam longe textus faciem euadere debuiſſe, poſtremaque apographa a primis, ſaepe vſque adeo diſſediſſe, vt capita nouae familiae eſſe poſſent. *

* Hiſt. Text. Paul. Sect. I. §. 17 et 19.

§. 319.

Quid quod permixtae recenſiones eſſe queunt, atque vnus idemque Codex trahere lectiones ex Alexandrina et Conſtantinopolitana, vel occidentali et Alex. caet. potuit. Textui certe Codicum Euangeliorum C. L. et epiſtolarum A. C. ad primordia tertii ſeculi referendo admiſtae ſunt, obſeruante Griesbachio [a], Lectiones nonnullae quarti aut quinti ſeculi. Atque etiam extant Codices, eodem monente Griebachio [b], e plurium recenſionum fragmentis compoſiti, quorum e numero ſunt Codex Alexandrinus, et Codex Baſilieenſis, apud Weſtenium primus, qui aliam recenſionem in Euangeliis aliamque in epiſtolis exhibent. [c]

a In hiſt. Text. Paul. p. 20.

b Ibid. p. 37.

c Modum detegendi recenſiones diuerſas, recenſionumque earumdem ἐκδόσεις varias edocet toties laudatus Griesbachius. Ibid. S. I. §. 18—.

§. 320.

Has itaque Codicum diuerſitates, diverſarum recenſionum originem pretiumque noſſe debet criticus, qui recte circumſpecteque verſari in disquiſitionibus criticis vult. * Hoc enim ni fiat, teſtibus ignotis fidem non raro habebit, atque de lectionibus non ſecus, ac ſurdus de ſonis, quod eſt in prouerbio, ſtatuet.

* Inſeruient hunc in finem praeter Millii et Wetſtenii prolegomena, Semleri item Hermeneutiſche Vorbereitung, Griesbachii ſaepe laudata opuſcula Hiſtoria textus Paulini et Symbolae Criticae.

§. 321.

Atque diligentior paullo harum rerum inueſtigatio nos edocebit, aliam longe eſſe cauſſam mirabilis Codicum graecorum cum latinis exemplaribus conſenſus, atque eam, quam adhuc ſuſpicati ſunt critici, qui Wetſtenii veſtigia preſſere. Interpolationes enim graecorum Codicum e latinis qui commemorant, ii adſerunt, quod hiſtoria textus ſacri planiſſime confutat, neque interpolationum cauſſas, praeſertim in mere graecis exemplaribus, explicare poſſunt.

§. 322.

§. 322.

Nam quod Ernesti Ægytiis ſuſpicatur hanc interpolationem deberi *, eamque a Patriarchis Ægyptiis inde a quarto ſeculo Romanae curiae obnoxiis repetit, id quidem Viri ſummi ingenio parum dignum eſt. Meminerimus Hieronymum Damaſo minime inuito ad graeca exemplaria latinam Verſionem emendaſſe; Patres latinae Eccleſiae ad graecas lectiones non ſemel prouocaſſe; inter graecos et latinos id temporis necdum lites de varietate textus exarſiſſe, et quidquid de his ſit, nullam veriſimilitudinis ſpeciem habere, interpolationem Ægypti Patriarchas vel attentaſſe, vel attentare ſine ſtrepitu potuiſſe; lectiones ad haec, quae *latinae* vulgo audiunt, et e graecis exemplaribus magnam partem ortas eſſe et ſeculo quarto multo antiquiores exiſtere.

* V. Interpres N. T. P. II Cap. II. §, 15.

§. 323.

Qui inter cauſſas varietatis latinae *foedus graecorum cum latinis*, ad quod Eraſmus nulla fide hiſtorica, aduerſariorum argumentis preſſus, prouocauit, compellaret, is, praeterquam quod nihil adferret, quo hiſtoria latinarum lectionum earumque ortus illu-

illuſtretur, abſurde etiam, noſtra opinione, credululum ſeſe Eraſmo praeſtaret.*

* V. Michaelis Einl. §. 92.

§. 324.

Itaque non defendendas quidem lectiones latinas atque ab omni ſuſpicione abſoluendas exiſtimamus. Sunt enim noſtro quoque iudicio non paucae e latino textu procul dubio ortae*; ſed certum non minus eſt, longe plurimas numero, quae *latinae* per contemtum Criticis audiunt, ſinceras, et Occidentali cum Alexandrina recenſione communes eſſe, hocque ipſo conſenſu ſeſe omni Critico hiſtoriam textus adcuratius perluſtranti ſeſe egregie commendare; vti ex aduerſo Alexandrinae recenſionis quaedam vitia eſſe a nemine non agnoſcendum putamus.**

* V. Bengel Introd. in Criſ. N. T. §. XXXII. Obſerv. XX. Conſid. VII.

** V. Symbol. Crit. Cod. L. Hiſtoria Text. Paul. §. 15.

§. 325.

Supereſt quaeſtio, quo pacto, quae Occidentalis recenſionis ſunt propria, in caetera graeca exemplaria manauerint; quo

loco

loco ſine ambagibus ignorantiam noſtram fatemur. Ea quidem ratione, qua putat Ven. Griesbachius * latinas lectiones caetera graeca exemplaria peruaſiſſe, rem contingere vix potuiſſe, nos certe perſuaſum habemus. Itaque dum hiſtoria textus S. ampliori in luce collocetur, nos potius exiſtimamus ab exemplaribus graecis latinorum quocunque demum caſu in Orientem delatis cauſſam huius rei repetendam.**

* In Symbol. Crit. p. CXV.

** Si Occidentalis recenſionis natales alii ſunt, atque quos putat Griesbachius, de quo nobis necdum certa ſtat ſententia, aliter de re omni exiſtimandum erit. Caeterum V. Bengel Introd. in Criſ. N. T. §. XXXII. Obſerv. XX. Conſ. VII.

§. 326.

Atque vt nunc in viam reuertamur, et de graecis hebraicisque Codicibus praeceptum generale ſtatuamus, in vtrisque ſpectandam eſſe et *aetatem* et *bonitatem* nemo non videt. Et aetas quidem Codicum cum difficile iudicatur in graecis exemplaribus, tum multo difficilius, fatentibus harum rerum peritis in hebraicis, quod non eſt mirum, quum necdum Palaeographiam quandam hebraicam habeamus *, et ob paucitatem codicum antiquiorum vix vmquam niſi valde imperfectam habituri ſimus, quo ac-

ce-

cedit, quod ii ipsi codices, qui omnium antiquissimi a Kennicott, de Rossi et Brunsio habentur, nota chronologica plerumque destituantur.

* Si promissa exsoluit de Rossi, non diu hoc subsidii critici genere carebimus.

§. 327.

Matres lectionis solito frequentius positas, Masoram, puncta vocalia, litterarum discrimina, inuersas suspensasque litteras qui pro argumento maioris minorisque antiquitatis habeat, eum quidem rem tantam dubiis nimium indiciis definire existimamus. Matres enim lectionis in iuniore quoque codice frequentiores occurrunt aliquando, qualis est Kennicotti 112. ipso iudice ad XIV Seculi initium demum referendus. Masoram vero punctaque vocalia ipsis vetustissimis hebr. codicibus antiquiora esse, non est dubium. Neque etiam oeconomia ratioque codicum hoc nos adhuc docuit, esse iuniores caeteris codices, qui punctis vocalibus et Masora instructi sunt; atque id ipsum de litterarum discrimine dicendum nobis videtur. Plura quidem alia antiquitatis criteria commemorat de Rossi *, qui opinor vnus omnium hac de re optime iudicare potest, quae tamen aeque parum scrupulum nobis omnem eximunt, nisi quod,

vbi

vbi coniuncta adſunt, de quo quidem i. e Vir doctiſſimus cauet, aliquam veriſimilitudinis ſpeciem haberi non negamus.

* V. Proleg. P. I. §. XIV. cui iungatur §. XIII. Vtile quoque eſt, quod de anno Judaico §. XII traditur.

§. 328.

Paullo certius eſt iudicium de antiquitate codicum graecorum, neque tamen in his ab omni dubio liberum. Et aeuum quidem codicum ante VII Seculum ſcriptorum nulla certa nota deſtinqui poſſe, fatetur Montfauconius [a]; vnde patet, quid de concertationibus eorum ſentiendum ſit, qui de Alexandrini et Vaticani Codd. antiquitate diſputant. Spirituum et Accentuum abſentia, character vncialis, ſcriptura non ligata magnae quidem antiquitatis indicia [b] ſunt, neque tamen inde certum aeuum arguas. Nam character vncialis ad ſeculum decimum vſque adhibitus eſt; et Spiritibus Accentibusque carent codices Seculo ſeptimo poſteriores [c], neque characterem ligatum inde a ſeculo nono conſtanter frequentarunt librarii. [d] Caeterum ex ſcripturae forma, eius nempe, quae a IX. X. XI. et ſeqq. maxime ſeculis [e] adhibita eſt, aliquid colligi poſſe, vbi nota chronologica deeſt, non negamus, neque negabit, qui vel ſpe-

ci-

cimina, quae in Montfauconii Palaeographia exhibentur, adtente considerauerit, dum ne confidenter nimium sententia feratur. Maximi sane Antiquarii inter duo plerumque, et nonnumquam etiam plura sęcula fluctuant, cum de aetate codicum ex scripturae forma pronunciandum est, putamusque magis etiam dubium esse criterium, vbi de codicibus a latino homine scriptis, quales sunt inter codices N. T., sententia ferenda est, vt alia nunc sileamus. Atramenti colorem, scribendi materiem, orthographiae rationem, et *γραφικα* etiam vitia [f], multoque magis librarii nomen et alia, quae aliquando historia suppeditat, in ferendo iudicio momentum facere, licet diuersum, satis expeditum est.

[a] In Palaeographia graeca lib. III. Cap. I. p. 193.

[b] V. Ibid. lib. II. Cap. V. p. 223. Cap. VI. p. 231. lib. IV. Cap. I. p. 263.

[c] Ibid. lib. III. Cap. IV. p. 218.

[d] Ibid. lib. IV. Cap. I. p. 268.

[e] Hoc tempore obseruante Montfauconio (lib. IV. Cap. VI.) potissimum descitum est a prima elegantia scribendi.

[f] Griesbach Hist. Text. Paul. Sect. I. §. 11.

§. 329.

Bonitas codicum, quam praeter aetatem in codicibus ſpectandam diximus, iudicatur quidem ex parte eorum aetate, quum caeteris paribus veroſimilius ſit, ſinceras lectiones antiquo, quam iuniore exemplari exhiberi, ſintque, quod ex ſupra dictis patet, et hebraei et graeci codices antiqui plerique iidem boni; tamen lubricum argumentum eſt, quod ex aetate ſumitur, iunioresque codices ex vtroque genere occurrunt vetuſtis haud paullo meliores. Regiomontani codices, vt de hebraeis dicam, editionesque nonnullae maioris multo a criticis plerisque fiunt, quam multi ſeculi XII et XIII. Codices a Kennicotto et de Roſſi laudati. Codices graeci Alexandrinus, Ephrem, Cantabrigienſis, Claromontanus, Sangermanenſis, Augienſis et Boernerianus lectiones ſane quam multas ex recenſione Occidentali et Conſtantinopolitana quoque traxerunt, quamobrem magis etiam, quam oportuit, de illorum pretio detractum eſt a Wetſtenio. Sed ſi hi Codices antiquiſſimi magni faciendi ſunt, non eſt contemnendus Codex Ruang. Regius apud Wetſt. 17. Seculo XV. ad finem vergente demum exaratus *, multoque minus Codex Ruang. Regius apud Wetſt. 13. vix ante ſeculum XIII iudice Griesbachio ſcriptus. ** Nimirum Codex, quantumcunque iuuenis, ductus eſſe poteſt ex exemplari bono, aliquando etiam anti-

quo,

quo, vti ex aduerſo codex antiquus ex alio non multo antiquiore et valde interpolato.

* V. Griesbach Symbol. crit. p. CLII.

** Ibid. p. CLIV.

§. 330.

Itaque tam bonitate, quam vetuſtate lectionum, codicis bonitas iudicatur. Bonitate *et* vetuſtate inquam; nam vetuſtate ſola lectionum rem non confici, patet vel maxime ex eo, quod in vtriusque foederis libris vitia valde antiqua inoleuerint. Caeterum fatendum, dubium ancepsque iudicium eſſe apud criticos de bonitate lectionum. Nam quod hebraicas lectiones adtinet, earum bonitas vago admodum incertoque criterio aeſtimatur, cum ad Verſiones antiquas prouocant; propterea quod de ipſa Verſionum fide non ſatis conſtet. Quid quod de antiquis etiam monumentis diuerſimode iudicant, et quem vnus ſequendum in plerisque ſtatuit textum e. g. Samaritanum, eundem repudiandum tanquam ſuſpectum teſtem alter edicit. *

* Multum Samaritano textui inter recentiores criticos defert de Roſſi. V. Proleg. P. I. §§. XVII. XXV. XXVI.

§. 331.

§. 331.

De lectionum graecarum bonitate discrepantia admodum esse debere criticorum iudicia, non minus patet. Et quanquam dum ex contextu et forma ipsa verborum et phraseon sententia fertur, minus aliquando variant iudicia, tamen cum testium auctoritate res agitur, in diuersissimas partes abire videas, qui de lectionibus iudicant. Quod mirum videri non debet, cum critici superiorum maxime temporum, Wetstenium, Millium, et Bengelium dicimus, ex praeiudicatis quibusdam opinionibus certum codicum genus nimium extollerent, deprimerentue, atque ex iis quisque codicibus pronunciarent, quos magni facerent; quod imitati sunt, magnam partem certe, critici recentiores. Constantius nonnihil criticum iudicium esse posse existimamus, postquam Griesbachius trium recensionum discrimen tam feliciter detexit, et in non paucis praeclare illustrauit; verumtamen post summi huius Viri conatus quoque erunt, qui de recensionum pretio, si vel maxime recensiones ipsas agnoscant, non eodem modo iudicabunt.

CAPUT VII.

De Editionibus librorum Sacrorum.

§. 332.

Post artem typographicam inuentam mature cogitatum de textu sacro, hebraeo cumprimis, ex scriptis exemplaribus edendo, ortaeque editiones textus sacri, hebraei primum, variae, ipsisque etiam lectionibus non parum differentes, vti differebant nimirum scripta exemplaria, e quibus ductae sunt.

§. 333.

Cum editiones aliquot iam haberentur, annoque 1494. in lucem prodiisset editio Brixiensis, multoque magis post Biblia Rabbinica Chaiimi an. 1525, edi coeptus est textus hebraicus ex editis exemplaribus ipsis, ortusque textus Masorethicus, quem dicunt, quum priores editiones a textu Masorethico hodierno non parum differrent. *

* V. de Rossi Proleg. P. I. §. XXIII. Eiusd. Dissert. prael. Tom. IV. Var. Lect. p. V. et seq.

§. 334.

§. 334.

Adcuratius itaque textus editi hiſtoriam rimantibus duo ſumma genera editionum diſtinquenda erunt *, earum nempe, quae ante Biblia Brixienſia et R. Jac. Chaiim ex ſcriptis codicibus, et earum, quae poſt haec ipſa Biblia ex editis libris, maximam certe partem, quod animaduertit de Roſſi, parabantur. Maſorethicum hoc poſtremum genus adpellari poteſt; vti prius non male Amaſorethicum dicetur, vtpote quod textum a Maſorethico diuerſum ſiſtit. **

* Quatuor diſtinquit Eichhornius (V. Einleitung §. 393.), totidemque recenſiones textus diuerſas ſtatuit, Computenſem nimirum, Brixienſem, Bombergianam, et Antwerpienſem denique. Maioris nobis momenti diſtributio videretur, ſi hiſtoria textus editi minus obſcura foret.

** Non in omnibus, fatemur enim, ipſos codices MSS. in multis ad Maſorae leges refictos eſſe.

§. 335.

Atque vt de primo genere editionum iam dicamus, earum praeter raritatem ſummam ſummum pretium eſſe, et res ipſa loquitur, et variantes lectiones a Kennicotto et de Roſſi vt alios taceamus, ex iisdem collectae confirmant *; poteritque criticus earum adminiculo eo minus carere, quo

mi-

minor eſt codicum Amaſorethicorum numerus, quoque incertius eſt, an codices, vnde exſcriptae ſunt, ſuperſint hodie; quanquam quod de variantibus lectionibus diximus, non ita proprium eſt huius generis, vt non in poſterius quoque cadat.

* V. de Roſſi de Hebraicae Typographiae Origine ac Primitiis curante Hufnagel, Erlang. 1778. Capp. IX. X. XI. Item Proleg. P. I. §. XXIII.

§. 336.

Dolendum, quod primis editoribus non placuerit nos monere, quibus, quotue, et quam diuerſis MSS. Codd. in adornandis ſuis editionibus vſi ſint; quo fit, vt noſtrum de earum pretio iudicium dubitationi non vni obnoxium ſit. Germanicis potiſſimum codicibus vſos eſſe, non neglectis tamen, quoad librorum ordinem locaque nonnulla adtinet, Hiſpanis, coniecturam facit de Roſſi *, Vir in hoc ſtudiorum genere cumprimis ſuſpiciendus.

* In Proleg. loc. cit.

§. 337.

Sunt vero editiones, quae ante Biblia Rabbinica Chaiimi lucem adſpexerunt, adfirmante modo laudato de Roſſi, qui ipſe col-

collectionem ampliſſimam poſſidet, oppido multae, e quibus paucas non niſi, easque ferme, quae aut totum Scriptorum corpus, aut libros plures complectuntur, commemoramus, quales ſunt: *Pentateuchus hebraicus cum punctis et cum paraphraſi Chaldaica* (Onkeloſi) *et Commentario R. Salomonis Jarchi in fol.* Bononiae anno CCXLII (Chriſti 1482.), quae editio poſt Pſalterium anni 1477 omnium antiquiſſima eſt.[a] Quinque Meghilloth h. e. *Ruth*, *Eccleſiaſt.*, *Cant. Cant.*, *Threni cum Commentario Jarchi et Eſther cum Comment. Abenesrae in fol.* ſine anno et loco, ſed iudicante de Roſſi [b] Bononiae 1482. *Prophetae priores ſcilicet Jos.*, *Jud.*, *Lib. Sam.*, *ac Reg.*, *cum Commentario Kimchii in fol.* Soncini anno CCXLVI (Chriſti 1486.) et *Prophetae poſteriores*, *ſcil. Iſai.*, *Jerem.*, *Ezechiel et XII minores cnm Commentario Kimchii in fol.* eod. l. et a.[c] *Ruth.*, *Cant.*, *Threni*, *et Eccleſiaſtes vna cum Machazor* in 4. Soncini et Caſale Maiore auno 1486. quam editionem plures maiorisque momenti lectiones ſuppeditare Bononienſi 1482. teſtis eſt toties laudatus de Roſſi.[d] *Pſalterium Hebr. cum commentario Kimchii in quarto min.* Neapoli anno CCXLVII. (Chriſti 1487.) *Prov.*, *Cant. Cant.*, *Eccleſiaſtes*, *Threni*, *Ruth*, *Eſther*, *Daniel*, *Eſra ac Paralipomenon libri cum Commentariis* eadem forma l. et a.[e] *Biblia Hebraica integra cum punctis et accentibus in fol.* Soncini anno CCXLVIII

(Chriſti 1488.). Summae raritatis editio, cuius licet plura, quam putauit Kennicott, pauca tamen extant exemplaria. [f] *Pentateuchus hebr. absque punctis cum chaldaica paraphraſi Onkeloſi et Commentario Jarchi in fol.* in *inſula Sorae*, vti putant nonnulli. Anno CCL. (Chriſti 1490.) quae praeſtantiſſima rariſſimaque editio habetur. [g] *Pentateuchus hebr. cum Chaldaica Onkeloſi paraphraſi et Comment. Sal. Jarchi in quarto duobus voluminibus* Vlyſſipone anno CCLI (Chriſti 1491.) quam editionem a typorum praeſtantia atque a ſingulari ακριβεια, vtpote ad *Hiſpanos* codices exactam ſummopere celebrant. [b] Poſtremo *Biblia hebraica cum punctis in quarto* anno CCLIV. (Chriſti 1494.) editio celebratiſſima, qua vſus olim Lutherus in conficienda verſione Germanica, et ex qua variantes collegit publicique iuris fecit, atque etiam Kennicotto transmiſit Schulzius. [i] Eam differre a Bibliis Soncinenſibus anni 1488. ſupra laudatis, neque, quod ſcribit Maſchius in Bibliotheca, quoad lectionum varietates ſibi inuicem reſpondere, monet de Roſſi. [k]

[a] V. de Roſſi de Hebr. Typogr. Origine Cap. IV. n. 2. Tychſenii Kritiſche Beſchreibung (Repertorium für Bibl. u. Morgenl. Litteratur. P. VI. p. 65.) in qua tamen vir eruditus non omne punctum tulit.

[b] In opuſculo de Ignotis editionibus Erlang. 1772. Cap. I.

a V. de Rossi de Hebr. Typ. Orig. Cap. V. 1. 2. Tychsenii Beschr. (Repertorium P. VII. p. 165. P. VIII. p. 51.)

d V. de Ignotis editt. p. 5.

e V. de Hebr. Typ. Orig. Cap. V. 5. 6. Item de Ignotis editt. p. 27.

f V. de Hebr. Typ. Orig. Cap. V. 7.

g Ibid. n. 10.

h Ibid. Cap. VI. 1.

i Ibid. n. 5. Schulzium non summa diligentia in colligendis variantibus versatum esse, colligas ex iis, quae p. 36. de Ignotis editt. occasione Bibliorum Bomberg. 1518. de Rossi scribit.

k V. de Ignotis editt. p. 27. et 29. Ibid. p. 29. Biblia Pisaurensia a. 1494. falsitatis conuincuntur. Caeterum praeter laudata de Rossi opuscula, de hoc omni argumento vtiliter consuletur Bibliotheca le Longo- Maschiana, Kennicotti Dissertatio generalis et Eichhorns Einl. §. 390. et seqq.

§. 338.

Veniunt nunc Biblia Rabbinica Chaiimi, quorum inscriptio apud le Longum latine reddita haec est: *Porta Dei sancta — Omni possibili studio impressi sunt* (libri sancti) *mandato Danielis filii Cornelii Bombergi Venetiis. Auxiliante Deo.* 1525. 1526. IV Vol. in fol. Jam antea, anno nimirum 1517.

Biblia Rabbinica curauerat Daniel Bombergus operique praefecit felicem Pratenſem, natione Hebraeum, virum trium linquarum, ab oppidulo *Prato*, loco natali, Pratenſem cognominatum, ex Judaeo Chriſtianum, et duobus ad minimum ante annis ordini Heremitarum S. Auguſtini adſcriptum, qui praeter Targumim et commentarios Rabbinicos, e quibus tamen reſecuit, quae Religioni Chriſtianae videbantur aduerſa, variis lectionibus Ben Aſcher, et Ben Naphthali, et quas e codicibus aliis collegerat [a], tabula Paraſcharum, et Haphthararum, aliisque ad Maſoram pertinentibus editionem inſtruxit.[b] Ea tamen editio valde diſplicuit Judaeis cum ob alias cauſſas, tum quia exoſum ſuſpectumque nomen Felicis Pratenſis. [c] Itaque aliam curauit Bombergus, eam ipſam nempe, quam mox ſupra laudauimus, cuius exornandae ſtudium curamque commiſit R. Jac. Ben Chaiim. Collegit is Maſoretharum tradita, textum ſecundum praecepta Maſorae exſcribi curauit, adiunxit Rabbinorum commentarios, duplicem Maſoram, minorem, quae ſingulis paginis ad latera textus imprimitur, et maiorem, quae partim ad finem iuxta ſeriem alphabeticam apponitur, partim per ſingulas paginas infra et ſupra textum, lectiones item variantes Ben Aſcher et Ben Naphthali, Orientalium et Occidentalium. In praefatione, quam itidem adiecit; agit de Maſora, Keri et Cethib, de

di-

diſcrepantiis inter Talmudiſtas et Maſorethas, de locis, quae vocant correctiones ſcribarum et de Maſorae magnae ordine. [d] Huius editionis repetita eſt impreſſio Venetiis 1547—49. et 1568. Quae quidem ambae editiones nulla re inter ſeſe differentes, niſi quod poſtremam in quibusdam a Genebrardo caſtratam vult Wolffius, quod tamen Maſchius limitat [e], priori etiam praeſtantiores habentur. Editionis 1547—49, quam aliqui volunt non iam a Chaiimo, ad hoc vsque tempus vix ſuperſtite, ſed a Cornelio Adelkind curatam[f], *collationem* et *correctionem* inſtituit, quod tradit de Roſſi [g], R. Menachem Lonzanus, interque caetera critica ſubſidia adhibuit decem MSS. Codices, Hiſpanos plerosque, e quibus erant, ſi Lonzano fides, qui habebant annos 500 vel 600. Sed ad Pentateuchum ſolum, quod monet idem de Roſſi, Lonzani criſis pertinet. Atque haec Bibliorum Rabbinicorum Bombergi editio eſt, ex qua editiones caeterae Maſorethicae profluxerunt. [h]

[a] Non parum Pratenſis laborem celebrat de Roſſi in Differt. prael. Tom. IV. Var. Lect. p. V.

[b] V. Bibliotheca de Longo-Maſchiana P. I. p. 96.

[c] V. de Roſſi loco ſupra cit.

[d] Haec totidem ferme verbis Bibliotheca le Longo-Maſchiana P. I. p. 100 et ſeq.

[e] Ibid. p. 103.

f Quin auctam quoque ab Adelkindo ſtatuunt nonnulli. loc. cit.

g In Proleg. Part. I. §. XXXVII.

h Sic quidem de Roſſi iudicat paſſim. Caeterum probe diſtinquendae ab hac editione, Bombergi editiones aliae, de quibus videri poteſt Bibliotheca le Longo-Maſchiana P. I. p. 17. et ſeqq.

§. 339.

Itaque textus Hebraicus Polyglottorum Antwerpienſium *a* cum editionis Venetae Bombergi textu partem magnam conſentit *b*, fluxitque e textu horum Polyglottorum textus Polyglottorum Pariſienſium *c* et Anglicanorum. *d* De Polyglottis Complutenſibus *e* aliter habere ſuapte intelligitur, quum id ipſa temporis ratio doceat. Peculiarem eſſe in multis textum horum Polyglottorum hiſtoria eorundem veroſimile facit, quae dubitare haut ſinit, quin inter *caſtigatiſſimos* et *antiquiſſimos* Codices, quos comparaſſe dicitur Cardinalis Ximenius, fuerint hebraei quoque, quanquam, quod obſeruat Eichhornius, diſertis verbis nuſpiam traditur, codicibus hebraeis editores Complutenſes vſos eſſe. *f*

a Dicuntur *Regia* quoque et *Plantiniana*, cuius adpellationis ratio ex ipſa inſcriptione intelligi poteſt, quae ſic habet: *Biblia Sacra, Hebraice, Chaldaice, Graece et Latine, Philippi II. Regis*

Ca-

Cathol. Pietate et studio cact. Christ. Plantinus excud. prodierunt Antwerp. 1569 — 1572. VIII Vol. fol. Plura si velis, adeas Bibl. le Longo-Maschianam P. I. p. 340. et seqq.

b Hoc adserere videtur Maschius, cum contextum hebraicum horum Polyglottorum, ex editione Complutensi sumtum, cum laudata editione collatum dicit (cit. loc. p. 347.); quanquam me latet, vnde hoc didicerit Maschius, et quam Venetam Bombergi editionem dicat.

c Inscriptio plenior haec est: *Biblia Hebraica, Samaritana, Chaldaica, Graeca, Syriaca, Latina et Arabica. Quibus textus originales totius Scripturae Sacrae, quorum pars in editione Complutensi, deinde in Antwerpiensi regiis sumtibus exstat, nunc integri, ex manuscriptis toto fere orbe quaesitis exemplaribus, exhibentur. Lutetiae Parisiorum excudebat Antonius Vitré.* Anno M.DC.XLV. fol. max. IX Tom. Vol. X. V. Bibl. le Longo-Maschiana loc. cit. p. 349. et seqq.

d *Biblia Sacra Polyglotta Complectentia textus originales Hebraicum cum Pentateucho Samaritano, Chaldaicum, Graecum, versionumque antiquarum Samaritanae, Graecae 72 interpretum, Chaldaicae, Syriacae, Arabicae, Æthyopicae, Persicae, Vulg. Lat., quidquid comparari poterat — cum textuum et versionum orientalium Latinis translationibus — ex vetustissimis MSS. — cum apparatu — edidit Brianus Waltonus S. T. D. Londini imprimebat Thomas Roycraft 1657. Vol. VI. fol. max.* Vid. Bib. le Longo-Masch. ibid. p. 374 et seqq.

• *Biblia Sacra. Vetus Teſtamentum multiplici linqua nunc primo impreſſum. Et inprimis Pentateuchus Hebraico atque Chaldaico idiomate. Adiuncta vnicuique ſua latina interpretutione* caet. IV. Vol. fol. 1514 — 17. Sex partibus integrum opus abſoluitur, quarum prima Nouum Teſt. graece et latine complectitur, altera Vocabularium hebr. atque Chaldaicum cum tractatibus, reliquae quatuor Vet. Teſt. V. Bibl. le Longo-Maſchiana ibid. p. 332 et ſeqq.

ſ Quin ſunt, qui ex editione Brixienſi ſumtum textum Complutenſem velint, quod tamen lectionum diuerſitate refutatur. Vid. Eichhorn Einl. §. 393. a. zw. Ausg.

§. 340.

Editiones caeterae pleraeque omnes ad Bombergi editiones expreſſae vulgo exiſtimantur [a], e quorum numero ſunt *Biblia Hebr.* Munſteri Baſil. 1536., Roberti Stephani, et Plantini plura [b], plura item Buxtorfii, in quibus eminent, quae Baſileae 1618. edi coepta ſunt, a Maſorae et punctationis emendatione conſpicua [c], Niſſelii denique, quae Lugd. Batav. 1662. prodiere, de quibusque diuerſimode iudicant Michaelis et Tychſenius. [d]

a Non eſt dubium, quin differant iſtae editiones in quibusdam lectionibus ab editt. Bombergianis, ſed diſcrimina necdum ſat adcurate expoſita ſunt, vt diſtincte de recenſionum diuerſitate prae-

praecipi poſſit. Vid. tamen Eichhorn Einl. §. 393. et ſeqq.

b De Stephani editione an. 1539 — 1544. digna lectu ſunt, quae habentur in Bibl. Or. P. XIV. p. 79. et ſeqq.

c Varia iudicia excitauit iſta Buxtorfi emendatio. V. Biblioth. le Longo-Maſch. P. I. p. 106. et ſeq.

d V. Or. Bibl. P. X. p. 214. et Repertorium für Bibl. und Morgenl. Litteratur. P. V. p. 283.

§. 341.

Peculiari mentione dignae ſunt editiones R. Menaſſe Ben Iſrael Amſt. 1635. 2 Vol. 4. et duae Joſephi Athias ibid. 1661. *a* et 1667. 2 Vol. 8., quae ex editione Veneta Bombergi aliisque, MSS. item Codicibus curatae ſunt; *b* editiones deinde Dan. Ern. Jablonskii Berol. 1699. 8. mai. et Van der Hooghti Amſtel. et Vltraj. 1705., quarum prima Jo. Henrico Michaelis in celebratiſſima editione Halenſi an. 1720. *fundamenti loco*, vt ipſe in praefatione dicit *c*, *in collatione codicum fuit, cuiusque editionis textum non ad verba ſolum et dictiones ſed ad ſingulas etiam ſyllabas puncta et apices a capite ad calcem vſque* recenſuit, *et in ſuo variantium lectionum ſelectu nota Ber. aut Berol.* citauit; altera vſi ſunt in editionibus ſuis

R. Norzi Mant. 1742. 44. Carol. Franc. Houbigant. Lutet. Parif. 1753. fol. 4 Vol. Joh. Simonis Halae Magdeb. 1702.[d] et 1767. et Kennicottus Oxon. 1776. 80. fol. 2 Vol. De Roffi quoque in colligendis Variantibus huius editionis textum fequitur.

a Prima haec editio eft, quae cum diftinctione *numerali* verfuum prodiit.

b V. Bibliotheca le Longo - Maſch. P. I. p. 41. et ſeqq.

c Cap. I. §. IV.

d V. de Roſſi de Ignotis editt. p. 65.

§. 242.

Quum vtraque tam Jablonskii, quam Van der Hooghti editio editionem Athiae alteram, quae eſt an. 1667., ex parte ſequatur, operae pretium faceret, qui eius indolem paullo adcuratius indagaret. Veriſimile eſt, eum pleraque ſeruaſſe ex editione Athiae prima, quae teſte Johanne Leusdenio, cuius ſtudio editio procurata eſt, textum cum Bibliis Bombergi et Plantini, et eum duobus MSS., quorum alterum Amſtelaedami in manibus Judaei Hiſpani Gaſpari Ferdinandi Veiga fuit, ſcriptum A. M. 5059. (A. C. 1299.), alterum Hamburgi adſeruatur, ante annos 900 Toleti in Hiſpania ſcriptum, curate col-

collatum continet. * Maſoram frequentius, quam vllum codicem alium ſectari alteram Athiae editionem teſtatur Henr. Opitius. **

* V. Biblioth. le Longo- Maſch. cit. loc.

** In praef. Bibliorum Hebr. an. 1709.

§. 343.

Jablonskius, quod ipſe in praefatione dicit, Athiae editionem, de qua commodum diximus, ſequutus eſt, *verum non ita preſſo pede, quin paſſim ab ea nonnihil diſcedendum eſſe* putaret. *Proprio itaque ſtudio Bibliorum recenſionem aggreſſurus ex editionibus impreſſis eas, quae reliquarum quaſi cardinales videbantur*, ſelegit, *Bombergianam Venetam, Regiam ſeu Ariae Montani, Baſileenſem Buxtorfii et Hutherianam, quibuscum editionem Manaſſis et aliorum paſſim* contulit. *Praeterea* vſus eſt *Codice mſ. Bibliothecae Electoralis duplici, codice item Bibliothecae ſereniſſ. Principis Anhaltino-Deſſauienſis, hisque plures alios codices* iunxit.

§. 344.

Quid Johannes Henricus Michaelis in ſua editione praeſtiterit, ipſe nos ſequentibus verbis in praefatione * edocet: *Omni ſtu-*

ſtudio, quantum in nobis erat, id operam dedimus, ut quam emaculatiſſime textus hebraeus prodiret. Hinc magna cura ac ſollicitudine exemplar, ex quo impreſſio facta eſt, non ex ingenio vel coniectura noſtra, ſed ſecundum collatos a nobis codices recenſuimus. Quibus porro Codicibus vſus ſit, diſcimus ex eadem praefatione, vbi Cap. I. §. III. MSS. Codices Erfurtenſes quinque, editiones nouendecim, Maſorethicas plerasque omnes nominat. **

* Cap. V. §. II.

** V. Orient. Bibl. P. I. p. 207. et ſeqq.

§. 345.

Reſtat, vt quid Van der Hooghti editio peculiare habeat, videamus. Id vero ex titulo ipſo aeri inciſo colligere eſt, qui ſic habet: *Biblia Hebraica ſecundum vltimam Joh. Athiae a Johanne Leusden denuo recognitam, recenſita atque ad Maſoram et correctiores, Bombergi, Stephani, Plantini, aliorumque editiones exquiſite adornata variisque notis illuſtrata.* Itaque non ad Codices mſſ. Sed ad editiones vnice, easque Maſorethicas textus Van der Hooghtianus eſt expreſſus.

§. 346.

Atque sic adparet, textum ferme Masorethicum esse, quo seu in Polyglottis, exceptis Complutensibus, seu in editionibus vulgaribus hodie vtimur. Nam Biblia hebraica Reineccii dicuntur illa quidem in titulis editionum ad *optimorum Codicum* fidem expressa, vix tamen a caeteris Masorethicis differunt, neque placuit Viro erudito codices ipsos nominare. Atque hoc totum sedulo tenere debet tiro, ne vulgari textui nimium tribuat, piaculumque ducat receptas lectiones, vbi rationes criticae suaserint, deserere. * Simul ex dictis intelligitur, esse inter editiones, illas quae post R. Jac. Ben Chaiimi Biblia lucem adspexerunt, non minus, atque inter editiones Chaiimi Bibliis superiores, quarum textus, vt de Variantibus, quae aliquibus adiectae sunt, nunc non dicam, criticum egregie iuuare possunt.

* V. de Rossi Tom. IV. Var. Lect. Dissertat. praelim. p. XII. et seq.

§. 347.

De textus Hebraeo-Samaritani editionibus breuissime dici potest; duas enim nonnisi habemus; quanquam ne duae quidem

iunt:

ſunt ſed vna eademque editio, quam Biblia Polyglotta Pariſienſia et Anglicana ſiſtunt. Nam quod Waltonus in Prolegomenis dicit [a], ſibi ab Vſſerio tres Codices Samaritanos, fragmentaque communicata, quae *magno ipſi adiumento* eſſent in *adornando ſuo Pentateucho*, id ipſe explicat, cum e veſtigio ſubiicit: *eumque a mendis, quae in editionem Pariſianam irrepſerant, repurgando;* multoque magis ex Caſtelli teſtimonio intelligitur. [b] Itaque vna Pariſienſis editio eſt, quae hic in conſiderationem venit. Eam debemus doctiſſimo Morino, Congregationis Oratorii Presbytero, cui in ea paranda praeſto fuit vnicus Codex mſſ., is nimirum quem Achilles Sancius Congregationis Oratorii tum Socius et Symmiſta anno 1620. Bibliothecae Oratorianae dono dederat. [c] Facile hinc intelligitur, quam in multis imperfectam eſſe oporteat editionem Pariſienſem; quo accedit, quod menda typographica non pauca habeat, quae ne ipſa quidem, vti Caſtellus teſtatur, vbique emendat editio Anglicana. Nactus eſt poſtmodum Morinus plures Codices mſſ., quos cum editione ſua contulit, variasque lectiones, quas ex iisdem collegerat, inſerere voluit Volumini obſeruationum criticarum, quod ad calcem Bibliorum Pariſienſium edendum erat, ſed cum per contentiones et diſſidia hoc ipſum volumen ad finem perduci haud poſſet, varietatem eam lectionum cum cri-

criticis obſeruationibus ſeorſim edendam curauit. [d]

[a] Proleg. XI. n. 10.

[b] In praef. Animadv. Samarit. Tom. V. Polyglott. Lond. Sic loquitur Caſtellus: *in edendo Pentateucho Samaritano eiusque verſione Chaldaico-Samaritana exemplar Pariſienſe ſecuti ſumus, quod quidem religioſius obſeruantes (cum non niſi in mendis euidentiſſimis typographicis, neque id tamen in omnibus, ab eo conſtitutum fuerit) in cauſſa hoc erat, cur in vocibus Aſteriſco notatis, quae non raro erant erratorum indices, nil mutauerimus, nec plura in illo etiam, quae nobis correctione egere videbantur, emendauerimus.*

[c] V. Bibl. le Longo-Maſch. P. I. p. 358.

[d] Ibid. p. 359. et ſeq. Morini libellus inſcribitur: Opuſcula Hebraeo-Samaritica prodiit Pariſ. 1657.

§. 348.

Ordo nunc poſtulat vt de editionibus graecis N. T. dicamns. Eae trifariam diuidi poſſunt in editiones, quae ex ſcriptis exemplaribus hauſtae ſunt, in editiones deinde, quae partim ex ſcriptis, partim ex impreſſis, tandem, quae ex impreſſis libris ſolum lectiones traxerunt.

§. 349.

§. 349.

Primi generis non nisi duae nnmerari possunt, Complutensis nimirum, et Erasmi priores, de quibus, quoniam, vti in sequentibus videbimus, caeterarum partem magnam constituunt, adcuratius non nihil praecipiendum est.

§. 350.

Tempore prima est editio Complutensis, quae lucem adspexit, quin tamen illico in publicum prodiret, an. 1514. cum epigraphe: *Nouum Testamentum graece et latine in Academia Complutensi nouiter impressum.* Praesto erant Editoribus Complutensibus codices cum alii, tum Romani; quales vero illi, clam est eruditis. Describunt quidem Romanos editores ipsi, sed minus adcurate, quam vt de illis statui possit. Itaque vnde allati codices plerique, quam antiqui, vel recentes caet. fuerint, an supersint hodie, vel vbi deliteſcant, incertum. * Quin et illud ignoratur, num Codex Vaticanus editoribus ad manus fuerit. **

* Vid. tamen Wetst. Tom. II. p. 14. Cod. 50.

** Idem Tom. I. p. 26. et 117.

§. 351.

§. 351.

Sufpicatur Wetſtenius, Codices, quibus vſi ſunt editores Complutenſes, iuniores ferme fuiſſe, idque eo confirmat, quod editio Complutenſis cum MSs. codicibus Seculi XIV. XV. et XVI. *vbique contra omnes Veteres, contra Patres, et contra conuerſiones antiquas faciat* *, atque etiam Millii Codex 51, qui ipſo iudice aetatem 400 annorum non ſuperet, cum editione Complut. mirum in modum conſentiat, vt *iſtius gemellum* Millius habeat. Equidem nihil dubito, quin iuniores codices plerique fuerint, quorum copia erat editoribus, de hiſce ipſis tamen codicibus nimium ſeuere ſtatuiſſe Wetſtenium, deque eorum pretio contra fas diminuiſſe, non minus perſuaſum habeo, quum videam monere criticos, qui collationem diligentem inſtituere, editionis Complutenſis non paucas eſſe lectiones praeclaras, easque omnium minime *vbique*, quod nimium confidenter adſerit Wetſtenius, *contra omnes Veteres* cum iunioribus codicibus facere.

* Tom. I. p. 118.

§. 352.

Grauior Wetſtenii adcuſatio eaque, ſi qua alia, iniqua nobis videtur, cum *citra vllius codicis graeci auctoritatem ſubinde nonnulla mutaſſe, atque graecum textum ad lati-*

nam verſionem detorſiſſe, ne verbo quidem admonito lectore editores contendit *; quam adcuſationem repetit Semlerus, repugnante, quod opinamur, fide textus Complutenſis, repugnanteque etiam ipſo, quod ſibi praeſtituerant, editorum conſilio. **

* Loc. cit.

** V. Goezii Vertheidigung der Complutenſiſchen Bibel Hamb. 1765. Ausführlichere Vertheidigung, 1768. Fortſetzung der Ausführlicheren Vertheid. 1769.

§. 353.

Eſt itaque editio Complutenſis tota ad MSS. Codices expreſſa, iuniores illos quidem, ſed tamen dignos, qui in multis audiantur. Depraedicat textum Complutenſem Celeb. Michaelis * vel maxime in Apocalypſi, propterea, quod characterem ſtili, quo liber conſcriptus eſt, magis ſeruet, quam editiones aliae. In aliis quoque minus *latinizat* obſeruante Goezio, atque exemplis comprobante, quam editiones Eraſmi. Caeterum in lectionibus *latinis* non valde deferendum eſſe editioni, concedo; procul dubio enim, quae tum infantia criſeos erat, lectiones Vulgatae maioris faciebant editores, atque oportebat, easque e ſcriptis exemplaribus forte cupidius aliquando arripiebant.

* Einl. §. 106, p. 680. der dritten Ausg.

§. 354.

§. 354.

Ipsae tres Erasmi editiones lucem adspexerunt, antequam ad manus eius deferretur Exemplar Complutense. [a] Itaque in prioribus hisce editionibus ex Mss. Codicibus et Patrum monumentis vnice hausit Erasmus. Prima Erasmi editio est an. 1516., in qua adornanda vsus est, si Wetstenio fides [b], codice Basileensi B. VI. 25., apud Wetst. 2., decimi quinti seculi quatuor Euangelia continente, qui imperita manu scriptus est, multaque ob ὁμοιοτελευτα omittit. Codice dein Basileensi B. IX. vlt. apud Wetst. Tom. II. 2. Acta et epistolas continente, qui priori adcuratior est iudice Wetstenio et vetustior. Codice denique Reuchlini, siue Capnionis apud Wetst. vbique 1., quem vnum Apocalypseos codicem graecum habuit, teste eodem Wetstenio [c], Erasmus. Non sine discrimine porro, quod monet Wetstenius, codices hosce adhibuit, sed cum ad fidem Theophylacti aliorumque Patrum, et ex Versione latina aut aliis codicibus graecis, interdum etiam ex coniectura, in primo multa, pauca etiam in secundo corrigeret, de postremo nihil tale accepimus. Docet quidem Wetstenius [d], praeter codices hosce adhibitos Erasmo in prima editione codices 1. 3. 61. 69. Sed quae de hisce codicibus in catalogo codicum [e] Wetstenius ipse narrat, non patiun-

tur, vt codd. alios, nisi cod. 69. qui est Leicestrensis, atque etiam codicem 1. *f*, ex quo lectiones in exemplar Erasmi manarunt mutantibus quaedam, inuito Erasmo, ad eius fidem Oecolampadio et Grebelio, qui castigandis formis erant praefecti, in editione prima adhibitos esse statuamus. In Apocalypsi modo laudato codice. 1. Reuchlini nempe seu Capnionis vsum esse Erasmum, mox supra diximus. Aliis praeter memoratos, siue graecis, siue latinis, codicibus instructum Erasmum fuisse, vt vt concesserimus, nihil tamen explicatius de iisdem adferre possumus. Illud hoc loco non praetereundum, Apocalypsim, e qua exemplar suum transcripsit Erasmus, lacunosam fuisse *g*, lacunasque Erasmum, latina graece vertendo expleuisse, qua eum licentia alibi quoque, vbi nullus excusationi locus esse poterat, vsum esse suspicatur Michaelis. *b*

a V. Wetst. Tom. I. p. 120.

b Tom. I. p. 44. Tom. II. p. 10.

c Tom. II. p. 742.

d Tom. I. p. 120.

e Tom. I.

f V. de hac Codice §. 311 cum nota *e*.

g Wetst. Tom. I. p. 126.

h Einl. §. 106. p. 682. der 3ten Ausg.

§. 355.

Subſecutae ſunt hanc primam editionem Eraſmi quatuor reliquae an. 1519. 22. 27. 35. in quibus ſingulis aliquid mutatum eſt. Secundam prima multo emaculatiorem atque caſtigatiorem habet Millius [a], in qua Eraſmum veram et genuinam lectionem in priori deprauatam locis amplius 330. reſtituiſſe adſerit, receſſiſſe tamen ab ea locis circiter 70. in lectiones interpolatas minimeque probandas concedentem. Tertia ſecundam, teſte eodem Millio [b], per omnia fere ſequitur, *ita quidem*, quae eius verba ſunt, *vt ab ea per vniuerſum N. T. haud recedat — niſi in locis circiter* 118., *in lectionibus quidem* 36. *ad fidem textus Aldini* (qui fluxit ipſe ex textu Eraſmi primae editionis, forte tamen non ſine mutatione [c]) *in reliquis ex auctoritate MSS. codicum, quos compararat, aut quouis modo inſpexerat.* In tertia hac editione demum poſuit I Jo. V. 7. ex codice Montfortiano Seculi XVI apud Wetſt. Tom. I. 61., quem *Britannicum* vocat Eraſmus, lectiones item variantes ex editione Aldina adiecit. Quarta editio, quae in locis 106. teſte Millio [d], a tertia deflectit, in ſola Apocalypſi nonnagies editionis Complutenſis, quam nunc demum nactus erat Eraſmus, lectiones adoptat; Variantes habet, non ex Aldina ſolum, vti prior, verum etiam e Complutenſi editione decerptas. Quinta

deni-

denique editio, obseruante Millio [c], quartam in locis non nisi quatuor deserit.

[a] Prolegom. p. 114.

[b] Ibid.

[c] V. Biblioth. le Longo-Masch. P. I. p. 196.

[d] Loc. cit.

[e] Ibid. pag. 116.

§. 356.

Atque ex hac editionum Erasmicarum historia patet, textum Erasmi e paucis ferme codicibus Mss. graecis latinisque, e citatis Patrum, e versione latina, et interdum etiam e coniectura, quod Wetstenius Erasmum ipsum fateri adserit*, denique in Apocalypsi ex editione praeterea Complutensi profluxisse; quod memoria tenendum est, ne textum hunc Erasmi, quod fecere eruditi quidam, nimium suspiciamus. Sed de hoc paullo post dicemus.

* Tom. I. p. 120 et seq., vbi Erasmi epistolam CCLI. ad Budeum excitat.

§. 357.

De altero genere editionum, quod nempe lectiones partim ex editis libris, par-

partim ex Mſſ. codicibus mutuatur, vt nunc dicamus, omiſſis aliis, de quibus videri poteſt praeter Millium Wetſteniumque Bibliotheca le Longo-Maſchiana, Roberti Stephani, Bezaeque editiones diſquirendae veniunt. Et Roberti quidem Stephani quatuor editiones fortaſſe rectius accenſerentur tertio generi, quum Wetſtenius a Stephano Eraſmum non niſi rariſſime deſertum ſcribat *; tamen quia Wetſtenii adſertum extra dubitationem omnem poſitum nequaquam eſt, Stephanoque codices mſſ. plures, quam Eraſmo, ipſisque, vti videtur, Complutenſibus, praeſto erant, hoc loco de editionibus eiusdem agere viſum eſt.

* Tom. I. p. 145.

§. 358.

Priores duae, quae ab initio praefationis " *mirificae* audiunt ob correctionem ſummam, annis 1546. et 49, in 12. Lutetiae lucem adſpexerunt. Regios codices, Complutenſemque editionem in textu emendando adhibuiſſe ſeſe, dicit in praefatione Stephanus ipſe, quo non obſtante Wetſtenius Stephani textum cum Eraſmi textu vbique conſentire, in iisque duntaxat locis ab eo diſcedere adfirmat, vbi codices omnes, aut plerique in diuerſas partes abirent. Contendit porro, a veritate longe abeſſe, quod

vult

vult Millius, Complutenſem editionem in Euangeliis, Actis et epiſtolis Stephano pro fundo baſique fuiſſe; in quo omnino Millio adſentiri difficile eſt, cum ipſe, quod vrget Wetſtenius, ſupputatione inita fateatur, editionem primam Stephani ſexcentis circiter locis a Complutenſi recedere, et Eraſmianam ſequi; et quidem ducentis locis perperam, et contra omnes vel plerosque codices. Quod quidem in Apocalypſi multo apertius eſt, vbi concedit ipſe Millius, Stephanum editionem Eraſmi quintam ſequi. In tertia editione, quae ob adiectas ex XVI. Codicibus Mſſ. [b], in quibus eſt editio Complutenſis, variantes lectiones [c] omnium nobiliſſima habetur, Stephanum Eraſmi lectiones maiori etiam, quam in prioribus factum, ſtudio retinere, atque ex Millii computu vix vicies ab iis recedere, ſaepe laudatus Wetſtenius obſeruat. Prodiit iſthaec editio Lutetiae an. 1550. fol. Hanc demum inſequuta eſt anno ſequenti editio quarta Genev. 2 Vol. 8. verſione latina inſtructa verſuumque diuiſione, qualem a Stephano primum excogitatam eſſe alibi diximus. [d]

[a] O *mirificam Regis noſtri*, (Franciſci nimirum I.) *optimi praeſtantiſſimi Principis liberalitatem* caet.

[b] Wetſt. Tom. I. p. 144 et ſeq. et Bibl. le Longo-Maſch. P. I. p. 211. Iuuenes plerosque Stephani co-

codices fuiſſe exceptis 2do et 8vo contendit Wetſt. ibid. p. 146.

c Collegit eas Henricus Stephanus, Roberti filius, qui tum iuuenis admodum fuit, officiumque male geſſit. Wetſt. Tom. I. p. 143.

d Vid. ſde ſingulis Stephani editt. Bibl. le Longo-Maſch. P. I. p. 208. et ſeqq. et p. 305. et ſeqq.

§. 359.

Bezae editiones, quae quidem vere illius ſunt *, quinque numerantur, prima anni 1556., quae nonniſi Vulgatam, et propriam Bezae latinam verſionem cum Annotationibus continet, reliquae quatuor annorum 1565. 82. 89. 98. textum graecum ab ipſo Beza formatum exhibent. De his quinque Bezae editionibus haec compendioſe Wetſtenius **: *in prima et ſecunda editione adiutum ſe fatetur Vallae, Stapulenſis et Eraſmi Annotationibus, praecipue vero Roberti Stephani codice anno* 1550. *cum V. L. edito* (i. e. Stephani editione 3tia.) *In tertia adhibuiſſe etiam duos codices Mſſ. ſuos teſtatur, Claromontanum nempe et Cantabrigienſem vna cum Verſione Syra N. T. et Arabica Actuum Apoſtolicorum et vtriusque ad Corinthios epiſtolae; in quarta et quinta acceſſiſſe praedicat Conſilia amicorum Druſii*

et

et Piſcatoris. In duabus iisdem poſtremis editionibus mentionem etiam facit vetuſtiſſimi Mſ. Codicis, quem nuper nactus ſit; quo ipſum tamen bis tantum, in extremo nimirum Matthaeo et Luca ad explicandam ſubnotationem vſum deprehendo. Diſſentit Beza, porro ſubiungit Wetſtenius, *ab editione Stephanica in verſione et notis, locis circiter ducentis, quorum quinquaginta in ipſum textum graecum recepit: ſexcentis vero minimum locis lectionem receptam dubiam facit, eique alias aut ſingulas, aut ſubinde plures aequiparat.* Ex quibus diſcimus, textum Bezae a Stephanico, adeoque etiam Eraſmiano non vſque adeo diuerſum eſſe, diuerſitatemque ad Occidentalem ferme recenſionem perti ere, atque nonnulla coniecturae quoque Bezae deberi.

* De Spuriis Vid. Biblioth. le Longo - Moſch. P. I. p. 307. et ſeqq.

** Tom. I. p. 146. et ſeq.

§. 360.

Praeter modo recenſitas Stephani Bezaeque editiones ad alterum editionum genus pertinent editiones Halenſes Griesbachii, quae annis 1774. et 1775. 77. * in lucem prodiere. In his pro baſi eſt textus vulgaris, de quo mox dicemus, ſed criticis quibus-

busdam signis distinctus, quae de lectionum pretio moneant; hinc inde mutatus quoque, vbi nempe certo constare de lectionis vulgaris falsitate videbatur, quae tamen mutationes vbique aut signis, aut charactéris genere, aut vtroque, et signis nimirum et charactere, indicantur. Fontes lectionum sunt codices, Versiones et Patres, e quorum auctoritate mutatur, quidquid mutatur, coniecturis criticis vbique repudiatis. Nulla ad hunc vsque diem, vti nos quidem iudicamus, editio prodiit, quae Griesbachii editionibus puritate textus et *ακριβεια* critica palmam praeripiat. Quod mirandum non est, cum Vir maximus pretium iustum statuere monumentis antiquis ex vsu multiplici meditationeque diuturna didicerit, atque etiam critico adparatu in concinnando textu selectiori ditiorique vsus sit, quam editores caeteri. Lectu dignissimae sunt praefationes editionibus adiectae, e quibus, praeterquam quod multa discere liceat in rem criticam praeclara, ipsa ratio operis rectius pleniusque intelligitur.

* V. Bibl. le Longo-Masch. P. I. p. 247.

§. 361.

Quod tertium nunc genus editionum adtinet, eae partim textum Complutensem, partim Erasmicum, partim denique, vt tace-

ceamus alias, quae non sunt nostri instituti, textum in Rob. Stephani et Bezae editionibus obuium exhibent. Primi generis sunt editiones Plantinianae, Geneuenses, et Moguntina Hermanni Goldhagen; editiones item Polyglottorum Antwerpiensium et Parisinorum. Vbi tamen notandum, omnibus hisce editionibus aliquid Erasmicarum lectionum adhaerescere, cum Plantino non placuerit purum textum Complutensem sistere. Ad alterum genus reuocantur editiones Aldina, rariſſima illa, quae Venetiis 1518. fol. prodiit *, Hagenoensis, qua Lutherum aliqui in vertendo vsum statuunt, editiones Basileenses Bebelii, Herwagii caet. Tertii denique generis est textus Waltoni in Polyglottis, Millii, et quem in colligendis V. L. sequitur Bengelius, qui quidem est R. Stephani; textus deinde editus ab Elzeviriis a. 1624.; quem ab eo inde tempore certatim et ab Elzeviriis et ab omnibus in Belgio typographis, et a Curcellaeo, Fello, Leusdeno. denique Mastrichtio repetitum adfirmat Weistenius. Ipsum Wetstenii Nov. Test. textum hunc exhibet. Vnde formatus sit, docet nos idem Wetstenius, cum monet, per *editiones Regias*, quarum fit in titulo mentio, non Antwerpiensem Philippi II, sed Stephani tertiam, et per editiones *alias* editionem postremam Bezae intelligi, additque, editorem, cuius nomen ignoratur, vbi Stephani tertiam deserit,

non

non aliam vllam editionem ſequi praeter Bezae vltimam, cuius veſtigia in pluribus etiam locis, quam quae allata ſunt a Millio, editorem legere, ſeſe deprehendiſſe.**

* De huius lectionibus. Vid. Biblioth. le Longo-Maſch. P. I. p. 196.

** V. Tom. I. p. 151. et ſeq.

§. 362.

Atque ſic rurſus intelligitur, quod de editionibus hebraicis ſupra annotauimus, critica ope textum vulgarem indigere, ineptosque eſſe, qui hoc et ſuperiori ſaeculo eorum conatus ſuſpectos habuere, qui variantes lectiones ex antiquis monumentis colligerent, aut lectiones receptas hinc inde emendandas ſtatuerent. Niſi enim quis putet, textum Eraſmi, quem ferme ſequutus eſt monente Wetſtenio in tertia ſua editione Stephanus, aut textum Bezae, e paucis vtrumque iisque non valde antiquis, ſuſpectis certe non vna de cauſſa, monumentis collectum, ab omni prorſus labe immunem eſſe, quod miraculi ſimile foret, is concedat oportet, textum vulgarem emendari in multis poſſe, recteque hanc prouinciam a critico moderato doctoque, criticis ſubſidiis, qualia hodie longe plura melioraque, quam Eraſmi et Bezae aetate ſup-

pe-

petunt, munito fuſcipi. Itaque quemadmodum praeclarum fuit Patribus Tridentinis de meliore emendatioreque Verſionis latinae textu curare, propterea quod viderent illi Praeſules, fieri non poſſe, vt vulgares editiones vitio omni carerent, ita non minus praeclarum erit hodiernis Eccleſiae hominibus de emendatione textus graeci vulgaris cogitare; qui quidem hucusque a paucis ferme hominibus iisque priuatis, e fontibus non optimis, praetermiſſis, eo quod copia non eſſet, quam plurimis, editus eſt. *

* V. Griesbach Vol. II. N. T. Praef. p. XIII. et ſeqq.

CAPUT VIII.

De Verſionibus earumque vſu.

§. 363.

Vtriusque codicis S. verſiones antiquas hodiedum habemus, de quibus breuiter pro inſtituto videre, quoniam tantum momentum, in criticis praeſertim disquiſitionibus, faciunt, ſuperuacaneum haud fuerit.

§. 364.

§. 364.

Vt vero ordine quodam procedat disputatio, de Veteris Test. versionibus primum, deinde de versionibus N. pro more nostro dicemus; vtrobique vero versiones *immediatas*, quas dicunt, quae nempe non sunt ex versione alia, sed ex textu originali ipso factae, a versionibus *mediatis* distinguemus.

§. 365.

Versiones immediatae Veteris T., de quibus quidem nos mentionem isthic facturi sumus, sunt Versio LXX, Aquilae, Symmachi, et Theodotionis *, Paraphrases Chaldaicae duae, Onkelosi nimirum et Jonathanis, Versio Syriaca, quae פשיטא h. e. *Simplex*, *litteralis* dicitur, Arabicae duae, vna R. Saad. Gaon, altera Erpenii, et latina Hieronymi. **

* De Noua versione graeca Vid. Neue Or. Bibl. P. II. p. 223. et seqq.

** De caeteris Verss. qui volet cognoscere adeat Richard Simon Hist. Crit. Vet. T. Briani Waltoni Proleg. Semlers Hermeneutische Vorbereitung 2. St. et Eichhorns Einl.

§. 366.

§. 366.

Verſionis LXX. origo fabulis vſque adeo inuoluta eſt, vt non niſi coniecturis, argumentisque ex ipſa verſionis indole depromtis, quae ad hocce argumentum ſpectant, explicare liceat. Atque haec omnino veroſimile faciunt, verſionem hanc in Ægypto quidem confectam, a diuerſis vero interpretibus, diuerſoque etiam tempore exaratam eſſe. In Ægygto quidem, vbi ab Alexandri morte, Alexandriae praeſertim, tanta copia Judaeorum agebat, vel maxime graeca quadam librorum Sacrorum verſione opus fuerit, produntque etiam hanc patriam vocabula et formae quaedam dicendi, quibus ad res Ægypti alluditur, ipſaque etiam Veterum, vtvt caetera inconſtans, narratio hoc vnum natale ſolum verſionis confirmare videtur. Diuerſos eſſe interpretes, qui in verſione hac infudarint, fuadet apertiſſime ſtili diuerſitas. Tempus poſtremo diuerſum argui poteſt ex eo, quod Moſis non niſi, Prophetarumque libri in ſynagogis legerentur, Prophetarumque lectio ipſa ſerius demum, vno nempe et dimidio circiter ante Chriſtum natum ſeculo frequentari coeperit; quo accedit, antiquos Ariſteam, Philonem, et Hieronymum in ſuis de LXX. narrationibus non niſi Pentateuchi mentionem facere. *

*

* V. Repertorium für Bibl. und Morgenl. Litteratur. P. I. p. 266. Eichhorns Einl. §. 161. et seqq.

§. 367.

Haec porro versio ante et sub Christi nati tempora tanta apud Judaeos, non solum Ægypti, sed Palaestinae quoque, auctoritate pollebat, vt ipsis archetypi loco esset; quod, praeterquam quod ex more Judaeorum publice eam in synagogis suis lectitantium *, et Scriptorum s. N. T., qui ea potissimum, vti supra diximus, in excitandis Scripturae locis vtebantur, firmissime comprobetur, ipsa quoque Philonis et Josephi fabulosa de origine huius versionis narratio citataque apud vtrumque frequentia confirmant, vti qui ob male intellecta quaedam Talmudis loca versionem LXX. Palaestinae Judaeis exosam fuisse statuunt eruditi, audiri non mereantur. **

* Tertull. Apolog. C. 18. Justin. Dial. cum Tryph. p. 298. edit. Paris. 1636. in Cohortat. ad graecos p. 14. clarius Apolog. II. p 72. Vid. tamen Richard Simon lib. II. Hist. Crit. Vet. T. Cap. XVII.

** V. Briani Waltoni Prolegomena proleg. IX. p. 373. et seqq. edit. Lips. Eichhorns Einl. §. 166. In contrariam partem ex recentioribus Ernesti Commentat. de fontibus Archaeologiae. §. VII. Item

Item Commentat. de odio Judaeorum adv. litteras graecas.

§. 368.

Indolem verſionis quod attinet ea, religioſe dicam an ſuperſtitioſe? verbis ſingulis archetypi ita a capite ad calcem addicta eſt, vt rariſſime ab etymologia, ſeu littera, quod aiunt, diſcedat. * Quod quanquam in criticis, vti dicemus, praeclariſſimi vſus eſt, ingratum tamen accidit interpreti, quem verſio paullo liberior multo magis iuuaret. Eſt vero haec ſingulorum verborum captatio non in ſingulis libris eadem; doctiorque etiam atque linquarum notitia vberiore inſtructus vnus interpres prae altero eſt, cuius diſcriminis apertiſſima veſtigia deprehendere eſt in Jobi, maximeque Prouerbiorum et Pentateuchi libris cum reliqua verſione comparatis.

* V. Erneſti Inſtitutio Interp. p. II. Cap. VII. §. 2. et ibi excitatum Progr. de odio Judaeorum adv. litteras graeceas; quo tamen Vir doctiſſimus nobis ſententiam ſuam non omnino perſuaſit.

§. 369.

Textus hebraei, ad cuius fidem verſionem ſuam LXX. fecere *, puritas maior quidem eo tempore eſſe potuit, quam ſequi-

quiori, at multa iam tum in eodem vitia inoleuiſſe, monentibus criticis verſio ipſa docet. ** Et vero ipſa autographa mendis non caruiſſe, et inde ab Esdrae temporibus, maximeque ab eo tempore, quo plura exemplaria deſcribi coepta, multiplicata vitia eſſe, partim hiſtoria ſacri Textus confirmat, partim ſuapte intelligitur.

* Qui e textu Samaritano factam verſionem LXX. defendunt, ii ſi *recenſionem* textus hebraei Samaritanam intelligunt, ſententiam ſuam probant, ſi exemplar Samaritano *charactere* exaratum, adferunt, quod vti non refutari, ita neque demonſtrari poteſt. V. Haſſencampii Diſputatio Marburgi habita M.DCC.LXV. de Pentateucho LXX. interpretum graeco, non ex hebraeo, ſed Samaritano textu conuerſo; et Eiusd. Der entdeckte wahre Urſprung der alten Bibelüberſetzungen. Minden 1775. 8.

** Obiter iſthic animaduerto, adtentione dignum eſſe, quod de Jeremiae textu LXX. Codicibus hebraeis omnibus, verſionibusque contra aeſtimando monet in Noua Bibl. Or. P. V. p. 108. Michaelis.

§. 370.

Ipſum vero etiam verſionis textum diu immutatum perſiſtere haud potuiſſe, facile intelligitur. Librariorum peccata non nulla fuiſſe ante Philonis Joſephique tempora,

citata horum Scriptorum docent; plura poſtea euaſiſſe, atque in his eiusmodi, quae de audacia horum hominum teſtatum faciant, Eichhornius ex Juſtini citatis, Origenisque diſerto teſtimonio probat. *

* Einl. §. 167.

§. 371.

Itaque Origenes vt textum hunc primaeuae ſuae integritati, quoad eius fieri poſſet, reſtitueret, nihil non egit. Ipſis ſex diuerſis hebraei textus graecis verſionibus conquiſitis, nempe Aquilae, Symmachi, Theodotionis, tribusque aliis, praeclariſſimum ſuum *Hexaplorum* opus molitus eſt [a], in quo per columnas textum hebraicum, verſionesque diſpoſuit; hoc quidem ordine, vt primum locum teneret textus hebraeus litteris hebraicis, ſecundum idem textus litteris graecis, tertium Aquila, quartum Symmachus, quintum LXX., ſextum Theodotio, ſeptimum, octauum, nonumque reliquae tres verſiones obtinerent. [b] Qua quidem verſionum textusque ſacri diſtributione non id ſolum conſequi voluiſſe videtur Origenes, quod ſcribit Hieronymus [c], vt verſionis vnius diſſenſus caerarum conſenſu redargueretur, ſed id vel maxime, vt, in quo emendanda eſſet Verſio LXX., adpareret. Certe emendationem tentauit

Ori-

Origenes, ſigna quaedam critica adhibens *aſteriſcos*, *obelosque* [d], vt *Lemniſcos*, et *hypolemniſcos* omittam, quorum poteſtas dubia [e]; et aſteriſcos quidem poſuit, vbi verſio aliquid ſacri textus omitteret, obelos vero, vbi in verſione plus eſſet, atque in textu.

a *Tetrapla* quoque in lucem emiſit Origenes, illaque etiam ante hexapla eum perfeciſſe, certum habet Montfauconius; ſed quoniam in Tetraplis verſionem LXX. aut non emendauit, aut ſi emendauit, Tetraplis Hexapla nobiliora vulgo habentur, de his potiſſimum placuit dicere. Vid. Hexapla ex edit. Montfaucon. praelim. p. 9. 10.

b Ordinis huius ratio erat, coniiciente Montfauconio p. 14., quod Aquila ſcrupuloſius Symmacho textus S. verbis inſiſteret, Symmachus accuratior eſſet LXX., et Theodotione, Theodotio pleraque ex LXX. ſumeret. E numero verſionum adparet, cur Hexapla iam *Octapla*, iam *Enneapla* quoque adpellarentur. Nimirum trium poſtremarum verſionum, quarum textum non vbique exhibuit Origenes, nulla vulgo ratio habebatur; vbi et has quis numerabat, iam Octapla, Enneaplaue dicebat, prout nimirum vel binas ex his, vel omnes tres ſimul excitatas in columnis cernebat. Tetrapla omiſſo textu hebraeo, omiſſisque tribus Verſionibus annonymis verſiones caeteras continebant. Vid. Montf. citat. loc. p. 17. et ſeq.

c Locum laudat Montfaucon ibid. p. 9.

d Ibid. p. 38.

e Ibid. p. 40.

f Supplet id Origenes ex Theodotione plerumque, non infrequenter ex Aquila, aliquando sed rarius ex Symmacho, alias e duobus vel tribus simul. Ibid. p. 39.

§. 372.

Et quanquam erudito hocce, multorumque annorum labore Magnus Origenes de Graecae versionis textu haud vulgariter promereretur, tamen non magna erant commoda, quae inde in crisim Versionis huius redundabant; et parcissimus enim Hexaplorum, dum superfuerunt, vsus fuisse videtur, et Origenis exemplari, quod in Caesareensi Pamphili Martyris Bibliotheca adseruabatur, extincto vix aliud superstes fuit.*

* V. Montfaucon. praelim. p. 73. 76. Cf. tamen Richard Simon Hist. Crit. V. T. Lib. II. Cap. X. p. 50. qui procul dubio non de Hexaplis, sed de editione textus hexaplaris a Pamphilo et Eusebio curata dicit.

§. 373.

Quidquod, si coniecturis Clariffimi Viri Eichhornii deferendum, hexaplaris των LXX. textus occasionem librariis praebuit om-

omnia permiſcendi, vt non ſolum, quid interpretum caeterorum, verum etiam, quid proprium verſionis LXX. eſſet, incertum fieret, citataque ipſa ſcriptorum, qui interpretibus ab Origene laudatis vetuſtiores eſſent, aut illorum verſiones ignorarent, ex iisdem interpolarentur. *

* V. Einl. ins A. T. §. 173.

§. 374.

Malo huic medicinam ferre, iacturamque etiam Hexaplorum ex parte ſarcire poterant labores eruditi Flaminii Nobilii, Druſii, et Montfauconii, ſi quanta diligentia, quantoque labore a Viris hiſce, Montfauconio maxime, ex antiquis monumentis citata fragmentaque veterum interpretum colligebantur, tanto iudicio criticoque acumine diſcriminata fuiſſent. *

* Semleri, Scharfenbergii, Doederleinii et Matthaeii conatus recentiores commemorat Eichhorn in der Einleit. §. 174. quibus adde Brunſium (Repert. f. Bibl. u. M. L. P. VIII. p. 85. P. IX. p. 157. P. X. p. 58. P. XIII. p. 177.), Adlerum (Ebend. P. XIV. p. 183.) et Annonymum (Ebend. P. XV. p. 38.) Conatus eiusmodi adiuuare deinceps poterit *Codex Syriaco-Hexaplaris editus et latine verſus a Matth. Norberg Londini Gothorum* 1787. 4. Vid. Neue Or. Bibl. P. V. p. 89. et ſeqq. Eichhorns all-

allgemeine Bibl. 1. B. p. 837. et seqq. Item Repertorium für Bibl. u. M. Litt. P. II. n. IV. V.

§. 375.

Quae editionis κοινης, eius nempe, quam veteres ad discrimen textus hexaplaris sic adpellabant[a], fata post Origenis tempora fuerint, certo quidem tradi non potest; at si coniecturis haud inuerosimilibus vti placet, eam multipliciter ex editione hexaplari, *recensionibus* item Luciani, Hesychii, et Basilii vitiatam esse, suspicari omnino licebit. Quo magis optandum, vt ex mss. codicibus, quorum non parua copia suppetit[b], monumentis antiquis aliis in subsidium adhibitis, emendatior editio Versionis LXX. paretur[c], atque ea sit, quam editoribus Romanis, Grabioque in acceptis referimus.[d]

a V. Richard Simon Hist. Crit. V. T. Lib. II. Cap. X. p. 49.

b V. Repertorium für B. u. M. L. P. V. p. 94. P. VII. p. 177. P. XI. p. 45.

c Initia Vid. in dem Repertorium P. I. p. 83. P. II. p. 66. 194. P. III. p. 213. P. VI. p. 124. P. XIII. p. 158. P. XIV. p. 30.

d Editiores Romani ex Codice Vaticano, Grabius ex Alexandrino Versionem LXX. vulgarunt, cum aliqua textus mutatione, quam hic plerumque, illi

illi numquam indicant. Romana editio prodiit an. 1587., quam ſequitur, paucis exceptis editio Boſiana Franeq. 1709. cum lectionum variantium farragine. Grabii editio Oxonii lucem adſpexit, ſed ita, vt Tom. I. et IV. an. 1707 et 1709., Tom. II. vero et III. 1719. et 20. curante Franc. Lee prodirent. Breitingeri editio Zürch. 1730. 4 Vol. 4. textui Grabii inſiſtit, ſimul tamen lectiones edit. Romanae indicat. De Danielis ſecundum LXX. editione Romana 1772. Vid. Bibl. Or. P. III. p. 155. P. IV. p. 1.

§ 376.

Veniunt nunc Aquilae, Symmachi et Theodotionis Verſiones, quarum quidem hodie non niſi reliquias habemus, eas nempe, quas Flaminius Nobilius, Druſius, Montfauconiusque ex antiquis monumentis eruere. Aquilae verſionem litterae adcurate inſiſtere, Symmachum ad graecam Syntaxim pleraque adcommodare, Theodotionem poſtremo *των* LXX. veſtigia legere, et antiqui monuerunt, et reliquiae verſionum ex parte docent. Secundo ſeculo Aquilae et Theodotionis * verſiones Irenaeus in ſuis adv. haereſes libris memorat. Symmachus poſt Theodotionem quidem, forte tamen et ipſe ante tertium ſeculum verſionem ſuam ad finem perduxit. Duas tam Aquilae, quam Symmachi editiones Hieronymus commemorat. ' Caeterum triumviros hoſce,

tan-

tanquam homines Judaeos, in Eccleſia ſuſpectos habitos fuiſſe, ſatis conſtat, licet Epiphanii incertis narrationibus non multum deferendum videtur. [c]

[a] V. Repertorium P. II. p. 76.

[b] Hieronymi loca aliter interpretatur Semlerus in der Herm. Vorbereitung 2. St. §. 17.

[c] V. Richard Simon Hiſt. Crit. V. T. Lib. II. Cap. IX. Montfaucon praelim. in Hexapl. Cap. V. et ſeqq. Semler. loc. cit. Eichhorn Einl. §. 184. et ſeqq.

§. 377.

Onkeloſi et Jonathanis Targumim, ſeu paraphraſeon hiſtoria tota fabulis Judaicis obſcurata eſt, ignoraturque, quo loco degerint, quoue tempore paraphraſes ſuas exararint. Antiquitatem maiorem Onkeloſi paraphraſi vendicat ſtili puritas, commentandique ratio, a fabulis ineptis, polemicisque conatibus alienior. Aliquot ſeculis iunior paraphraſis Jonathanis eſſe videtur, in qua impurior fluit ſermo, figmentaque judaica abunde occurrunt, atque etiam polemicae interpretationis veſtigia hinc inde ſeſe produnt. Quidquod Jonathanis paraphraſin ex ſtili inaequalitate paraphraſtis pluribus adtribuendam ſuſpicatur Eichhornius. Ad Pentateuchum Onkeloſi, Jonatha-

thanis paraphraſin ad Prophetas pertinere in vulgus notum. Verboſior Jonathanis, quam Onkeloſi paraphraſis; quo fit, vt haec illa in criticis disquiſitionibus praeſtet, quae eo quoque nomine praeferenda eſt, quod textum hebraicum puriorem ſiſtat. * Edita eſt vtraque paraphraſis cum in hebraici textus exemplaribus, tum in Polyglottis. **

* V. Richard Simon Hiſt. Crit. V. T. L. II. Cap. XVIII. Eichhorn Einl. §. 213. et ſeqq.

** V. Waltoni Proleg. proleg. XII. n. 20.

§. 378.

Syriacae verſionis, eius nempe, quam *Simplicem et litteralem* vocant, quis auctor ſit, plane ignoratur, quanquam non ab vno, ſed pluribus interpretibus profectam eſſe contendunt, quod ipſa ſtili diuerſitas declarare videtur. Chriſtianiſmi veſtigia Pſ. LV. 15. deprehenduntur, licet Judaeum hominem verſionis reliquae habitus prodere Richardo Simonio ſit viſus. Tantam antiquitatem verſionis non eſſe, quantam finxerunt verius, quam probarunt aliqui, extra controuerſiam poſitum eſt. Neque certum argumentum ſuppetit, quo illam ſeculo quarto, quo in eam Ephraem Syrus commentatus eſt, antiquiorem faciamus. E textu hebraeo a vertiſſe interpretes (nam plures eſſe,

vti

vti diximus, videntur), non pauca fidem faciunt, quanquam sunt alia, quae scrupulum iniiciunt, Versionisque adfinitatem cum Versione LXX. probant, quae tamen, ex parte certe, interpolationi tribuenda videntur. [b] Vsum eius, praesertim exegeticum extollit celeb. Michaelis. Edita est, sed multis cum vitiis, quibus abundabat exemplar scriptum, in Polyglottis Paris. a Gabriele Sionita, qui puncta adiecit et lacunas quoque propria versione, e latino textu facta, expleuit, cui malo medicinam ferre possunt Polyglotta Londinensia, quae eundem quidem textum, sed suppletum emendatumque cum Variantibus e quatuor codd. mss. sistunt additis etiam quibusdam libris, qui in Paris. Polyglottis non extabant. [c]

a Acute Semlerus coniicit, Origenis hexaplis vsum esse in vertendo Syrum (V. Herm. Vorbereitung 2. St. §. 29.), sed argumenta, quibus coniecturam defendit, id non omnino probant. V. Eichhorn Einl. §. 249.

b V. Richard Simon Hist. Crit. V. T. Lib. II. Cap. XV. Eichhorn Einl. §. 247. et seqq.

c V. Waltoni Proleg. proleg. XIII. n. 8. De Ephraemi vsu in emendatione textus Syriaci. Vid. Spohnii specimen collationis Versionis Syriacae. Lips. 1785.

§. 379.

Ex Arabicis Versionibus duas isthic commemoramus, vnam, quae est R. Saadiae Gaon, Doctoris Judaei seculi X. celeberrimi, alteram, quam ex Mſ. Leidensi a. 1622. Erpenius edidit, vtramque Pentateuchi, sed primam altera, quoad vsum criticum adtinet, longe praestantiorem, quum antiquior sit, minusque addicta Masorethico textui, quem Arabs Erpenii presso pede sequitur. Ex fonte vertisse Saadiam, nemo Criticus dubitat, quanquam Versionis LXX. et Samaritanismi vestigia alicubi adpareant. Caeterum versio admodum paraphrastica est, quod vsum eius criticum imminuit. Num praeter Pentateuchum alios S. codicis libros verterit Saadias, ignoratur. Editus textus est cum seperatim Constantinopoli 1546., tum in Polyglottis Parisinis et Londinensibus. *

* V. Richard Simon Hist. Crit. V. T. Lib. II. Cap. XIX. Eichhorn Einl. §. 246. et seqq. Michaelis Or. Bibl. P. IX. p. 153. P. XVI. p. 62. De caeteris Verss. Arabicis ex hebraeo factis, et speciatim de Versione Pentat. Arabico-Samaritana V. Eichhorn §. 286. et seqq. Or. Bibl. P. XVI. p. 76.

§. 380.

§. 380.

Venio ad Verſionem latinam Hieronymi, quae probe diſtinquenda eſt a verſione latina veteri, et ab ea, quam ad textum LXX. hexaplarem emendatam eidem Hieronymo debemus. Nondum Eruditiſſimus Pater eam, quam coeperat, textus latini veteris emendationem ad fidem textus graeci Origeniani perfecerat, cum precibus amicorum fatigatus, ipſa etiam rei magnitudine, vtilitateque inuitante ad verſionem ex fonte hebraeo, qualem latina Eccleſia necdum habebat, parandam animum adiecit. Itaque Samuelis et Regum libros primum, Prophetas maiores minoresque dein, et Pſalmos vulgauit. Sequuta poſtmodum a. 388. Prouerbia, Eccleſiaſtes, et Canticum Cant. Ante annum 393. Esdras et Nehemias. A. 393. Hiob. A. 404. aut 5. Pentateuchus, atque mox poſtea Joſue, Ruth, Judicum et Chronicorum libri cum Tobia et Judith ex Chaldaico Sermone, totique operi Daniel, Eſther et Jeremias coronidem impoſuere. *

* V. Martianay in proleg. II. ad Bibliothecam diuinam Hieronymi p. 2. Walton Proleg. proleg. X. n. 5. 8.

§. 381.

Quam methodum S. Pater in ſua verſione ſequutus ſit, declarat ipſe in praefatione Eccleſiaſti praemiſſa, vbi nullius quidem interpretis auctoritati addictum ſeſe profitetur, verſionemque ſuam ex hebraeo adornaſſe; adiicit vero, τοῖς LXX. a ſe prae caeteris delatum, conſultosque etiam aliquando Aquilam, Symmachum et Theodotionem. Monet alibi, inprimis laboraſſe ſeſe, atque operam dediſſe, vt ſenſum, non verba, quod Aquila fecerat, redderet; adiiſſe praeterea Doctores Judaeos, atque ex illorum reſponſis profeciſſe. De critico Verſionis Hieronymianae vſu hi ce non nihil detrahi, facile adparet. Neque vero etiam in ſenſu verborum detegendo vbique felicem fuiſſe, quis facile in animum induxerit. *

* V. Richard Simon Hiſt. Crit. V. T. Lib. II. Cap. XI. et ſeqq. Walton cit. loc. n. 2. et ſeqq. Semler Herm. Vorbereitung 2. St. §. 23. Eichhorn Einl. §. 333.

§. 382.

Vtinam vero, qualem Hieronymus dedit ex hebraeo interpretationem, eam hodie haberemus; ſed ſecus habet. Verſio Hieronymi, qualem Vulgata exhibet, cento

eſt

eſt ex Verſione latina veteri, latina dein hexaplari, in iis quidem libris, quos e textu hexaplari emendauerat Hieronymus, et ex verſione ipſa Hieronymi. Nimirum Verſio Hieronymi praeter Ruffinum et Auguſtinum aduerſarios procul dubio alios non paucos nacta eſt; et quamuis aeuo Gregorii M. iam ſatis vſitata non modo in Romana, verum aliis quoque eccleſiis fuiſſe videatur, variae tamen eaeque multiplices interpolationis cauſſae occaſionesque poſtea etiam extitere. Neque qui medio aeuo, vel recentioribus temporibus huic malo medicinam ferre tentarunt, id ullo modo perfecere. Sed de hoc alibi. *

* V. Eichhorn Einl. §. 334. et ſeqq. Semler loc. cit. Walton loc. cit. n. 7. 9.

§. 383.

Atque ſic adparet, quam vehementer errent illi, qui ſibi perſuadent, in eo textu, quem vulgatum dicimus, ſeſe aut Hieronymi verſionem, quam nempe ex hebraeo ipſus concinnauerat, aut, quod hoc etiam falſius (praeterquam in Baruch, Sapientia Salomonis, Sirach, et duobus libris Macchabaeorum, quos Hieronymus non conuertit), verſionem antiquam legere; quum Hieronymi verſio frequentari quidem inde a ſeptimo ſeculo in Eccleſia coeperit, eadem tamen

ex

ex veteri illa, emendataque Hieronymi cum antea, tum poſt illa tempora tam multipliciter interpolata ſit, vt quid verſionis Hieronymianae, quid emendatae veteris, quid veteris denique ipſius ſit, nullo pacto diſcriminari poſſit. *

* V. Walton citat. loc. n. 9.

§. 384.

Atque haec de Verſionibus immediatis. Reſtat vt nunc de mediatis quibusdam breviter videamus. Prima ordine eſt ipſa latina Vetus, quam quidem e graeco textu LXX. *antehexaplari* ſeculo circiter exeunte ſecundo factam [a], nihil difficultatis habet; at a quo interprete, quoue loco facta ſit, ignoratur. [b] Plures verſiones latinas N. T. extitiſſe olim, in ſequentibus dicemus, Veteris non niſi vnam, cum Viro Clariſſimo Eichhornio admodum veroſimile habemus; neque ex Auguſtini teſtimonio, quo Italam commendat, vel quo verſionum magnam copiam adſtruit, contrarium euinci poteſt; quum ad verſiones N. T. vtrumque pertineat. [c]

a Ad ſeculum tertium eandem amandat Semlerus Hermeneut. Vorb. 2. St §. 22. cui ſententiae non admodum fauent Tertulliani citata.

[b] Coniecturas non inuerosimiles proponit Semlerus loc. cit.

[a] V. Eichhorn Einl. §. 321. de indole versionis Vid. Semler cit. loc. et Eichhorn §. 324. et seq.

§. 385.

Quam parum in ipsa origine sincerus fuerit, et quam varie postmodum interpolatus euaserit textus veteris huius versionis, facilis coniectura esset, etiamsi id Hieronymus apertis verbis non diceret. " Haec ipsa textus latini corruptio ex parte in caussa fuit, cur Hieronymus de eius emendatione cogitaret. Qua quidem in emendatione, vt praef. ad editionem posteriorem Psalmorum profitetur, textum LXX. hexaplarem potissimum sequutus est, quanquam et fontem adiret. Primam curam Psalmis adhibuit, quos Romae degens emendauit, et vitiis ex librariorum partim inscitia, partim temeritate ex interuallo succrescentibus retractauit. Emendauit postmodum praeter Hiobi, Prov., Ecclesiastis, Cantici et Chronicorum libros caeteros quoque, vti ex epistola eiusdem ad Augustinum [b] colligitur, sed labor is *fraude cuiusdam*, quod dicit, antequam prodiret, amissus est. Hodie non nisi Hiobum duplexque Psalterium Romanum nempe et Gallicanum, impressum habe-

bemus, caetera magno critices damno in Bibliothecis forte ſepulta latent. *c*

a Praef. in Joſuam.

b Eſt 94. apud Auguſt. 172.

c V. Walton Proleg. X. n. 1. vbi defendit, Hieronymum quosdam libros non emendaſſe ſolum, ſed de nouo quoque vertiſſe. Eichhorn Einl. §. 327. et ſeqq.

§. 386.

Dicendum nunc eſſet de caeteris V. T. Verſionibus mediatis, quae non ſunt paucae; ſed id nimis longum foret, nec eſt noſtri inſtituti, vt ſingula commemoremus. Itaque nominamus ſaltem Syriacas: *figuratam* per errorem dictam, hexaplarem non ita pridem editam, vt alibi diximus, Philoxenianam denique, e graeco textu omnes factas: Arabicas dein, vnam Hiobi, quae extat in Polyglottis Pariſinis et Londinenſibus, alteram Pſalmorum Syriaco-arabicam, quae ambae e textu Syriaco fluxerunt; denique Arabicam Pſalmorum e graeco, quae ipſa quoque locum in Polyglottis modo laudatis obtinet. *

* V. Eichhorn Einl. de Verſionibus.

§. 387.

Ex ordine nunc de Verſionibus N. T., et primo quidem loco de Verſionibus immediatis dicendum. Eminent in his Vetus Syriaca (פשיטא *litteralis*) et latina; quibus accedunt Syriaca recentior, Philoxeniana vulgo dicta, Coptica, Æthyopica, Armenica, miſſisque aliis Gothica; de quibus ſingulis pauca delibabimus.*

* De his aliisque N. T. Verſionibus agunt Richard Simon Hiſt. Crit. Verſſ. N. T. Waltonus, Millius et Wetſtenius in Prolegomenis. Chriſt. Bened. Michaelis tractatione Crit. de variis lectionibus N. T. caute colligendis et diiudicandis Halae 1749. Jo. D. Michaelis Einleitung in die G. S. des N. B. De Verſionibus Syriacis et Arabicis praeclare meritus eſt Storr in Obſeruationibus ſuper Noui Teſt. Verſionibus Syriacis Stuttgardiae 1772. et in diſſertatione de Euangeliis Arabicis 1776. Cui adiungendus Adler, qui in opuſculo Bibliſchkritiſche Reiſe nach Rom, Altona 1783. inter alia, quae de Verſionibus Syriacis crudite monet, p. 118. et ſeqq. de Syriaca hucusque ignota in Bibliotheca Vaticana codice Syriaco Vaticano XIX. adſeruata primus nos certiores reddit. (V. Or. Bibl. P. XIX. p. 126. Zuſätze und Veränd. der 4ten Ausg. von Michaelis Einl. p. 79.) Laudanda denique Ridleyi Diſſertat. de Syriacarum N. F. verſionum indole atque vſu.

§. 388.

Omnium antiquiſſimam ipſoque primo Chriſtianae rei aeuo factam Syriacam Veterem ſtatuunt non pauci, coniecturis potius, vti quidem nobis videtur, quam argumentis ducti. Nam ex ſubſcriptione Verſioni ſubiecta, Syrorumque traditione confici nihil poteſt; argumenta vero caetera magnam quidem huius verſionis antiquitatem euincunt, primo vero eam ſeculo minime vindicant. Ephraemo Syro antiquiorem eſſe, nihil dubitationis habet. *

* Vide, quae Michaelis pro antiquitate Verſionis diſputat Einl. §. 57. et ſeq.

§. 389.

Auctorem verſionis ignoramus. Nam quod Achaeum Adaei (Thaddaei) diſcipulum ſubſcriptio nominat, id multo vaniſſimum eſt; Apoſtolum vero, aut Virum Apoſtolicum ſine nomine qui commemorant, nullo argumento faciunt. Ακριβεια illa, quam interpres in nominibus propriis Geographicis ſeruat, argumento fortaſſis eſſe poteſt, eum in Palaeſtina olim verſatum, at de patria eiusdem perſpicue teſtatum minime facit.

§. 390.

§. 390.

E graeco textu factam Verſionem, loca a Millio collecta extra dubitationem ponunt. Neque loca alia, in quibus cum latina Verſione Syriaca conſpirat, quae copioſa certe ſunt, probare noſtro iudicio aliud poſſunt, atque non eam lectionum latinarum originem eſſe, quam critici adhuc plerique ſuſpicati ſunt. " Quo non negamus, ſuſpectum ex parte conſenſum videri, eoque de auctoritate alterutrius Verſionis non parum detrahi, quanquam cuius? difficile eſt ſtatuere; nam qui interpolatam verſionem Syriacam ex latina, vel Philoxeniana [b] volunt, vereor, vt cauſſam tanti, qui inter verſionem vtramque obtinet, conſenſus ſat nitide explicent; qui vero ex latinis verſionibus aliquam a Syro forte homine profectam coniiciunt [c], ii nimium libere, vti nobis quidem videtur, fingunt, poſſetque, cauſſa, noſtra opinione, multo verosimilius repeti ab exemplari graeco ex Occidente in Orientem delato, maxime, ſi Syriaca Verſio, quod fieri poteſt, ante tertium ſeculum lucem non adſpexit; quanquam non ex latina verſione ſolum, ſed exemplaribus Conſtantinopolitanae recenſionis quoque interpolatam eſſe Verſionem Syriacam ſtatuendum erit, ſi verum eſt, quod adſerit Griesbachius [d], eam ad iuniores Codices multis in locis refictam eſſe.

a V. Michaelis Zusätze p. 61. et seqq.

b V. Michaelis Einl. §. 56. not. a

c Facit hoc Michaelis in der Einleitung (cit. loc.) und in den Zusätzen p. 63.

d Praef. ad N. T. Vol. I. p. XIV.

§. 391.

Imperfecte admodum editam Versionem Syriacam ex Mosis cuiusdam, Ignatii Maronitarum Patriarchae ad Leonem X. et Julium III. legati exemplari paucisque codicibus aliis habemus, quorum ne quidem vsum, quantum quidem licuit, fecere editores, post Widmanstadium in textu Syriaco edendo insudantes, multoque minus cogitatum de subsidiis aliis, quorum ope perfectior multo editio parari poterat. Atque etiam intrusa ab editoribus, quae a versione antiqua abesse debebant, quo ex genere est locus I Joh. V, 7. a Tremellio primum ex graeco Syriace conuersus, qui ne quidem a Schaafii editione, quae omnium optima vulgo habetur, abest. Alterius quoque, non Veteris, versionis est locus de Adultera ex Codice ms. Vsserii sumtus. Epistolae, Petri II., Joannis II. et III. Iudae item, a Pocockio ex Mss. Anglicanis primum editae cum Apocalypsi, quam ex Codice ms. Scaligeri Ludouicus de Dieu vulgauit,

gauit, non minus exulare debebant ab editionibus, vti abſunt ab editione prima Widmanſtadii, quae tamen non in Polyglottis modo Pariſinis et Londinenſibus, ſed in editionibus quoque nonnullis comparent.*

* De editionibus N. T. Syriacis Vid. Richard Simon Hiſt. Crit. Verſſ. N. T. Cap. XIV. Michaelis Einl. §. 53. De Codicibus Idem §. 54. Walton Proleg. proleg. XIII. p. 612. et ſeqq. edit. Lipſ. Adler Bibliſchkritiſche Reiſe p. 89—103. vbi p. 97. teſtatur vir eruditiſſimus, codices Vaticanos, in quibus ſunt duo antiquiſſimi, non diſſentire, niſi in particulis et coniunctionibus a textu impreſſo. De emendatione textus Syriaci adiſis praeter Michaelis Einl. §. 54. Storrii obſeruationes ſuper N. T. Verſſ. Syriac.

§. 392.

Sequitur Verſio latina, verſiones potius dicamus, nam plures erant, verſione Hieronymi non computata. Dubitant quidem hac de re eruditi nonnulli, Auguſtini teſtimonium *, quo in pluribus verſionibus Italam eximie laudat, mutilantes; ſed id magna temeritate faciunt, et leuibus ferme argumentis opinionem ſuam tuentur, qualia ſunt, quibus Bentlei et Venemae partes defendit Erneſti. **

* De Doctr. Chriſt. II, 15. Verba ſunt: *In ipſis autem interpretationibus Itala caeteris praeferatur: nam*

nam est verborum tenacior, cum perspicuitate sententiae.

** Instit. Interprer. P. II. C. IV. §. 13.

§. 393.

In pluribus hisce versionibus vnam fuisse, quam distinquerent Veteres, ex mox laudato Augustini loco cogitur. Hieronymus quoque *Communem* et *Vulgatam*, quam Gregorius M. *Veterem* *, adpellat; sed de Veteris Test. versione, ni fallor, Hieronymus non minus, quam Gregorius dicit. Vtvt sit, plures vna versiones longiori tempore in eadem ecclesia frequentatas fuisse, aegre in animum inducas.

* Praef. Moral. in Job.

§. 394.

Quo primum tempore Nouum T. e graeco in latinum conuerti coeptum sit, incertum habetur. Secundo id seculo contigisse, verosimile videri potest ex eo, quod eo iam tempore extaret in ecclesia versio latina Vet. Test. (§. 383.), et maior procul dubio habitus fuerit honos libris N. T. Qui pro primo seculo pugnant, argumenta valde incerta proferunt; vel si largiremur enim, quod ex stilo probabile esse putat Michaelis,*

ho-

hominum Judaeorum ea in Verſione partes fuiſſe, non foret conſequens, vt interpretis officium ſecundo ſeculo ex Judaeo Chriſtianus ſuſtinere non potuerit.

* V. Einleit. §. 75. p. 410. der 3ten Ausg.

§. 395.

Quanquam vero Verſiones latinae ad vnam omnes litterae admodum addictae eſſent, quod reliquiae teſtantur, erat hoc non obſtante inde ab origine magna lectionum varietas. Quod non mirum; cum varietas illa non ex diuerſo interpretandi modo, ſed ex exemplarium diuerſitate oriretur. Occidentalis quidem recenſionis habitus, qualem a Ven. Griesbachio deſcribi alibi monuimus, id omnino veroſimile facit.

§. 396.

Quantum vero haec ipſa lectionum varietas ſucceſſu temporis aucta ſit, non facile explicari poteſt. Hieronymi certe aetate, quod ex eius praefatione in Euangelia diſcimus, interpretum latinorum nullus erat, qui alteri conſentiret, permiſcebanturque omnia, vt, quae Lucae Mathaeique eſſent, fierent Marci, quae Marci et Joannis, in Matthaei quoque intruderentur Euangelium et ſic porro. Huc accedebat verſionum

num barbaries, quae latinas aures, vt vt incultas, non parum offendere debebat. Itaque Hieronymus poſtquam Verſionem Vet. Teſt. e textu hexaplari emendaſſet, et antequam ex hebraeo, demto forte Pſalterio, caetera vertiſſet [a], an. circiter 383. hortante Damaſo [b] N. T. correctionem et emendationem ſuſcepit. Quo quidem in munere ita verſatus eſt, vt primum ea nonniſi corrigeret, *quae viderentur ſenſum mutare*, [c] prouocaret deinde ſedulo ad codices graecos, in quibus Adamantii et Pierii, hoc eſt, Alexandrinae recenſionis codices adpellat. [d]

a V. Alex. Natal. Secul. IV. Differt. XXIX. Art. I.

b Praefat. in Euangel.

c Ibid.

d V. Comment. in Matth. XXIV. 36. Gal. III, 1. Lege Richard Simon Hiſt. Crit. Verſſ. N. T. Cap. III. et ſeqq. Nouv. Obſerv. P. II. Chap. XXI. Non ſola quatuor Euangelia emendaſſe Hieronymum, defenditur Cap. VII. Hiſt. Crit. Verſſ.

§. 397.

Non illico in Eccleſia emendatus Hieronymi textus recipiebatur, ſed, quod ſupra de Vet. Teſt. libris diximus, fuiſſe nimirum, qui in Hieronymum paullo iniquiores eſſent, id perinde hic locum habet; atque ipſe d. Hieronymus epiſtola ad Marcel-

cellam eos fugillat, qui verſionem veterem ſuae emendatae praeferrent. Inde quidem a ſeptimo ſeculo, quod ex Gregorii M. teſtimonio colligi poteſt, ſua Hieronymiano textui conſtitit, in quibusdam ad minimum eccleſiis, auctoritas, at non ſoli, quod ex eodem Gregorio diſcimus, et procul dubio non mediocre temporis ſpatium elapſum eſt, dum vbique et apud omnes in honore eſſet. Itaque prona eſt coniectura, multa ex textu Hieronymi in veterem, indeque in Hieronymianum deriuata eſſe ab iis, qui exemplaria exſcriberent, multipliciterque interpolatam eſſe verſionem vtramque idque non in contextu modo ſacro ipſo, ſed in libris quoque ſcriptisque aliis eccleſiaſticis.

§. 398.

Quamobrem non probamus Sabbatierii, Martianaei, et Blanchinii, vt alios taceamus, conatus, qui ex monumentis antiquis, codicibusque mſſ. textum latinum veterem, et quod magis mirere, textum latinae Italae, itemque textum Hieronymi eruere voluere, idque codices ſolum citataque proferendo, criſi ſeueriori nulla adhibita, cum dubitari poſſit, an vel exhauſta omni critica ſupellectile praeſtari id vmquam poſſit, quod Viri hi eruditi in votis habuere. Caeterum non negamus, alio eos nomine de re critica N. T. praeclariſſime meritos eſſe,

vn-

vnde plurima ſumat criticus ad lectionum examen vtiliſſima. *

* Sabbatierii Biblia latina verſionis antiquae ſ. Vetus Italica. Rhemis 1743. Euangeliarium quadruplex latinae verſionis antiquae, ſeu Italicae nunc primum in lucem editum ex Codicibus Mſſ. a Joa. Blanchino 1749. Martianaei Hieronymi Bibliotheca diuina. Quibus recentiſſime accedit Diſſertatio in aureum ac peruetuſtum SS. Euangeliorum Codicem MS. Monaſterii S. Emmerami Ratisbonae Auctore P. Colomanno Sanftl. 1786.

§. 399.

Quid de vulgato textu hodierno ſentiendum ſit, obſcurum eſſe iam non poteſt. Quod paullo ſuperius profeſſi ſumus, cum de V. T. verſionibus diceremus, mixtum nimirum, non purum eſſe textum verſionis latinae, id nos repetere iſthic iubent, quae adhuc diximus. Traxerat, medio praeſertim decurrente aeuo, Verſio Hieronymi, quae tandem in eccleſia recepta fuit, vitia quam plurima, a quibus eam purgare conati ſunt Robertus Stephanus, cum Theologis Louanienſibus Lucas Brugenſis, Theologique, qui Sixtinae et Clementinae recenſioni praefuerunt, vt alios taceam; at verſionem Hieronymi genuinam dare, aut latinas veteres ab hac diſcriminare nec voluere, nec potuere. *

* De

* De editionibus textus Vulgati Vid. Richard Simon Hist. Crit. Verss. N. T. Cap. XI. Annos editionum aliter notat Maschius, quem isthic sequor. Praeclara est Rob. Stephani editio, quae Parisiis a. 1541. lucem adspexit cum epigraphe: *Nouum Testamentum. Breues Variarum translationum annotationes adiecta veterum latinorum exemplarium mss. diuersa lectione cum praefatione Rob. Stephani.* II Vol. 8. Sequutae sunt hanc aliae duae 1543 et 1545. II Vol. 12. quae a priori nihil differunt. Vid. Bibl. Le Longo - Masch. P. II. Vol. III. p. 280. et seq. Theologorum Louanienſium tres item notatu dignae; prima Hentenii Louanii 1547. fol. reliquae duae Lucae Brugensis iuuantibus Theologis aliis Antwerp. 1573. 8. et III Vol. 24. Ibid. 1580. 4 et 8. Vid. Bibl. Le Longo - Masch. cit. Loc. p. 223. et 230 - 233. Sixtina recensio Romae prodiit 1590. Clementina 1592. fol. Vid. ibid. p. 239. et 244.

§. 400.

Dicendum nunc de Versionibus reliquis. Et Philoxenianam quidem Syriacam Polycarpo, Philoxeni episcopi Hieropolitani Chorepiscopo, debemus, qui eam, vti putant, suasu et auctoritate Philoxeni ex graeco concinnauit. Edita est anno 506., et centum octo post annis a Thoma Heraclienſi cum Mss. codicibus graecis *valde probatis adcuratisque*, quae sunt verba Thomae in subscriptione collata. * Versio ad verbum

de

de graeco facta eſt, ſed interpolata hinc inde e Syriaca veteri. Diu ex ſcriptis ſolum exemplaribus Pariſienſi nimium, Oxonienſi, Ridleyanis aliisque innotuit [b], nunc editam habemus cum interpretatione et annotationibus Joſephi White primam eius partem, quae quatuor Euangelia complectitur. [c] Inter Mſſ. Codices eminet Ridleyanus, alter ab eo, quem Ridley, eius poſſeſſor, codicem Barſalibaei adpellat, qui, demta Apocalypſi et poſteriore epiſtolae ad Hebr. parte (Cap. XI. 27. ſeqq.) totum N. T. complectitur. Apocalypſim, quae in Veteris Syriacae editionibus habetur, Philoxenianae partem eſſe putat Storrius. [d]

[a] Subſcriptionis verba ex codice Euangeliorum Pariſienſi de ſyriraco latine verſa apud Storrium (In Obſervatt. Super N. T. V. S. §. XVIII.) haec ſunt: *Eſt liber quatuor Euangeliſtarum Sanctorum, qui verſus eſt e linqua graeca in Syriacam cum diligentia multa et labore magno, initio quidem in Mabug vrbe anno* DCCC. *et* XIX. *Alexandri Macedonis, tempore S. Philoxeni, confeſſoris et Epiſcopi illius vrbis. Collatus eſt autem poſtea cum cura multa mea Thomae, pauperis, cum duobus exemplis graecis* (tria ſubſcriptiones aliae commemorant apud Wetſtenium et Adlerum) *valde probatis adcuratisque, in Antonia Alexandriae, vrbis magnae, in coenobio ſancto Antonianorum, quippe vel apex eius* (facit) *ad vtilitatem animae meae aegrotae, omniumque eorum, qui cupiunt integritatem librorum ſacrorum cognoſcere et conſeruare. Iterum vero deſcriptus eſt et collatus eodem loco dic-*

dicto, anno DCCCC. *et* XXVII. *Alexandri* Indictione IV. *Quanta autem opera et cura fuerit mihi* (posita) *in illo* (euangelistarum libro) *et coniunctis ei* (libris Sacris), *Dominus solus nouit, qui paratus est retribuere cuiuis pro factis suis in iudicio iusto et recto, in quo* (tamen) *consentiet misericordiae suae. Amen.* Vid. Wetst. Tom. I. p. 112 et seq. Adler Bibliſchkritiſche Reiſe. p. 116.

b De Codicibus mss. Vid. Assemann Bibl. Or. Tom. II. Adler Bibliſchkrit. Reiſe p. 105. et seqq. Wetstein. loc. cit. Ridley Dissert. de Syriacarum N. T. versionum indole atque vsu. Storr Obseruatt. super N. T. V. S. Cap. II. Paulus in Accuratiori MSS. Versionis Philox. Catalogo. Helmst.

c Prodiit Oxon. 1778. Vid. Or. Bibl. P. XVI. p. 107.

d Loc. cit. §. XLIX. Caeterum Historiam Versionis enarrant Wetstenius, Ridleyus, Storrius, Adlerus locis citat. Michaelis in der Einl. §. 62. De indole versionis praeter Storrium et Ridleyum Vid. Repertorium für B. u. M. L. P. VII. p. 1 et seqq. Ibid. P. X. p. 1 et seqq. Supplentur var. Lect. Wetst.

§. 401.

Copticae Versionis editionem Wilkinsio debemus, qui eam 1716. Oxonii vulgauit. A quo auctore profecta sit, ignoratur. Seculo quarto posteriorem esse, colligit Wetstenius ex eo, quod in scriptis exemplaribus adiectam habeat distinctionem

Ti-

Titulorum et Capitum Euſebii, numerosque illorum, margini appoſitos, in epiſtolis vero στίχους numeret, quae numerandi ratio, Wetſtenio iudice, vix ante quintum ſeculum obtinuit. Pretium huic argumento alii ſtatuant. Ex graeco factam Verſionem oportet, ſi, quod Wetſtenius adſerit, lectiones Origenis, Euſebii, Cyrilli, et codices Alexandrinos ſequitur. Omittit I Jo. V. 7., et abeſt quoque a quibusdam exemplaribus hiſtoria Adulterae. Caeterum non raro, quod monent, lectiones Verſionis latinae et codicis Cantabrigienſis ſequitur, quod de pretio illius, noſtra opinione, nihil detrahit. *

* Vid. Griesbach. Symb. crit. p. LXXVII. Verſionis hiſtoriam enarrant Wetſt. T. I. p. 110. Richard Simon Hiſt. Crit. Verſſ. N. T. Cap. XVI. Michaelis Einl. §. 64. cui iunge §. 65. vbi breuiter de Verſione Sahidica diſſeritur.

§. 402.

Verſio Æthiopica edita primum eſt Romae 1548. 49. recuſa dein in Polyglottis Londinenſibus [a], adiecta interpretatione latina, quae Millium non ſemel in errorem induxit. Eam Chryſoſtomo antiquiorem facere volunt nonnulli, quod laudatam ab eo putent Homil. in Jo. II., de quo valde dubitari poteſt. De lectionibus eiusdem dif-

ficile eſt pronunciare. Suſpectas admodum habet Wetſtenius, ſed eius iudicio non multum iſthic deferendum, habetque etiam aduerſarium, magni nominis, Griesbachium, qui ad conſenſum Verſionis cum antiquiſſimis Patribus graecis prouocat. [b] Omnium optime forte iudicare poterat Chr. Aug. Bodius, qui quatuor Euangelia latine conuertit, erroresque Millii in Pſeudo critica notauit. In Actis pleraque ex latinis graecisque exemplaribus ab editore fratre Petro Æthiope aethiopice conuerſa eſſe, ſubſcriptio Actorum, vti eſt apud Wetſtenium, claris verbis docere videtur [c]; ſed id negat Waltonus [d], ſubſcriptionemque mala fide recitari a Scaligero adſerit. Vtvt ſit, quaedam Actorum loca vel interpolata vel conuerſa eſſe e graecis latinisque exemplaribus, quae Romae Petrus Æthiops offenderat, ſubſcriptio, vel vti a Waltono laudatur, fidem facit. [e]

a Ex editione Romana, quod adfirmat Michaelis (Einl. §. 68.), exemplarique editionis difficulter legendo; vnde factum addit, ut lacunas pro arbitrio explerent editores Londinenſes. Nihil horum in Prolegomenis Waltonus monet. V. Proleg. XX. n. 10.

b Loc. cit. et Hiſt. Text. Paul. Sect. I. §. 12.

c Subſcriptio iic habet: *Iſta* (Acta Apoſtolorum) *maxima ſui parte verſa ſunt Romae e linqua Romana*

(e.

(i. e. latina) *et graeca in Æthiopicam propter defectum archetypi; id quod addidimus, vel omiſimus, condonate nobis, vos autem emendate illud.* Wetſt. Tom. I. p. 111.

d Proleg. XV. n. 11.

e V. Walton loc. cit. Caeterum lege Wetſt. Tom. I. p. 111. Richard Simon Hiſt. Crit. Verſſ. N. T. Cap. XVII. Michaelis Einl. §. 68.

§. 403.

Armenam Verſionem quinto Seculo a Miesrobo elaboratam volunt. Edidit eam Vſcanus, epiſcopus Armenus, Amſtel. 1666, E textu Syriaco concinnatam defendit Richard Simon, quod negat la Crozius linquae ignorantiam Simonio obiiciens. Tam ex Syriaco, quam ex graeco factam ex Moſis Chorenenſis teſtimonio *a* verosimile facit Michaelis, qui eam tamen Seculo III. ex latina interpolatam eſſe cum Wetſtenio ſuſpicatur, quam ſuſpicionem nulla ſat certa argumenta firmant. *b* Pretium puritatemque verſionis celebrat Griesbrachius. *c*

a Hiſt. III. Cap. 61. p. 313.

b V. Michaelis Einl. §. 69. Zuſätze p. 85.

c V. Symbol. Crit. p. LXXVII. Hiſt. Text. Paul. Sect. I. §. 12. Caeterum conſule praeter Michaelie

lis Einl. §. 69 et 70. Rich. Simon. Hist. Crit. V. T. Lib. II. Cap. XV. Hist. Crit. Verss. N. T. Cap. XVII.

§. 404.

Gothicae Versionis non nisi reliquias habemus. Quatuor Euangelistas Codex argenteus continet, qui tamen non paucas lacunas habet. Fragmentum hoc quatuor Euangelistarum omnium optime editum habemus ab Eduardo Lye Oxonii 1750. ex Erici Bengelii apographo, qua cum editione coniungendus Vlphilas illustratus, quem Cl. Viro Ihre debemus. [a] Particulam aliam Versionis Gothicae, loca nimirum quaedam ex epistola ad Romanos ex Bibliothecae Guelferbytanae codice Mf. a. 1762. vulgauit Knittelius. [b] Versionis auctorem esse Vlphilam, Gothorum in Moesia episcopum, medio Seculo IV. degentem, consentiunt eruditi. De fonte, vnde hausta, magna olim Wetstenium inter et Bengelium concertatio fuit, quae re adcuratius vtrinque examinata tandem deferbuit, cum versionem partim ex graeco, partim ex latino textu factam vterque concederet, quam sententiam recentius exornat Celeb. Michaelis. [c]

a Vlphilam illustratum cum aliis eiusdem generis scriptis a. 1773. apud nos curauit Büsching.

b Aliam eiusdem fragmenti editionem Clarissimo Ihre debemus, qui illud Vpsaliae cum *aliquot an-*

annotationibus et *duabus dissertationibus ad Philologiam Moeso gothicam spectantibus* a. 1763. in lucem publicam emisit.

e V. Rich. Simon Hist. Crit. Verss. N. T. Cap. XIX. Wetsten. Tom. I. p. 114. Bengel Introd. in Criss. N. T. §. XXXII. Obs. XX. Consid. III. et Defens. N. T. graeci §. XVIII. Michaelis Einl. §. 82. et seqq.

§. 405.

Atque vt nunc etiam de Versionibus mediatis binis verbis dicamus, Versionem Euangeliorum Persicam, quam Brianus Waltonus cum interpretatione latina Clerici Polyglottis inseruit, cuiusque varias lectiones Millius et Bengelius laudant, cum Erpenii Arabica Actorum, Epistolarum et Apocatypseos commemoramus. Vtramque ex textu Syriaco factam consentiunt eruditi, nisi quod Arabicam in Actis et Apocalypsi partim ex Syriaca, partim ex Coptica fluxisse contendunt, quanquam Christ. Bened. Michaelis Apocalypsim vnice ex Coptica versam defendit, quod Jo. David Michaelis, eius filius, in quibusdam locis aliter hare obseruauit. Caeterum probe distinquenda Versio Erpenii a Versione Polyglottorum Parisinorum et Londinensium, quoad Acta et Epistolas spectat (nam Euangeliorum Versio a Versione Polyglottorum non differt, nisi quod editionum quaedam sunt discrimi-

na,

na); [b] seiungenda quoque in ipsa Erpenii versione Euangelia ab Actis, Epistolis, et Apocalypsi; nam illa, cum Actis et Epistolis Polyglottorum, inter versiones immediatas sibi locum vindicare, satis compertum habetur. [c]

a V. Storr de Euangeliis Arabicis.

b Recte obseruat Michaelis (Einl. p. 388. der 3ten Ausg.) horum discriminum in excitandis variis lectionibus rationem fuisse habendam.

c V. Michaelis Einl. §. 71. et 167. Walton proleg. XVI. n. 9. proleg. XIV. p. 662 — 693. edit. Lipsi.

§. 406.

Restat, vt de vsu Versionum videamus, quem duplicem distinquunt vnum *hermeneuticum*, *criticum* alterum. Et quanquam de vsu hermeneutico Versionum alibi diximus, quoniam id tamen ad Versiones Vet. Test. maxime pertinuit, de altero genere Versionum sunt, quae isthic adiiciamus.

§. 407.

Nemo dubitat, quin Versiones N. T., antiquiores maxime, Syriaca et latina, vsum egregium habere possint in interpretatione librorum sacrorum, si nitide, beneque Syria-

riace et latine ſententias S. Codicis interpres vterque explicaret, ſed nihil minus; quae Syriacis latinisque verbis in verſionibus illis dicuntur, non Syriaca latinaue ſunt, ſed graeca hebraicaque, vtpote ex his ad verbum expreſſa; quo fit, vt verſiones hasce legendo non magis plerumque de ſenſu verborum edoceamur, quam legendo fontem ipſum. Et quanquam interpres Syrus aliquando formas dicendi bene Syriace efferre cogitur propter dialecti adfinitatem, id tamen et raro fit, et ſi recte accipimus, non eſt teſtimonium interpretis, quo de ſententia verbis ſubiecta certiores reddamur.

§. 408.

Néque dictis obſtat, quod paraphraſtica non raro ſit ratio vertendi, quam, monente poſt Millium Wetſtenio, interpres Syrus ſequitur, qnod idem dici de latino non minus interprete poſſet; nam quae paraphraſtice interpres vterque explicat, obuia plerumque vulgariaque ſunt; quae vero ſunt difficiliora, et in quibus auxilium ſperaſſes, ea imperite dubieque eloquuntur; vt mirum ſit, viros quosdam eruditos verſiones haſce, maximeque Syriacam, tantopere extuliſſe, eoquod ſermone Seruatori, Apoſtolisque patrio conſcripta ſit.

§. 409.

§. 409.

Potiſſimus itaque Verſionum N. T., vti caeterarum quoque, vſus in lectionum examine conſiſtit, quem quidem, quod facile intelligitur, eo ampliorem habent, quo ſunt magis *litterales* et ad verbum factae. Neque moramur hodie Withbium, Maſtrichtum, et alios, rei criticae parum peritos, qui varias lectiones ex Verſionibus recte colligi, olim negarunt, ſtudio id ferme vulgatae lectionis facientes, quod eo ineptius erat, quo plures ſunt lectiones vulgatae, quae vni Verſionum teſtimonio, latinae maxime, innituntur.

§. 410.

Eſt vero manifeſtum, momentum grauius in quaeſtionibus criticis facere verſiones immediatas prae mediatis. Nam quae ſunt mediatae, poſſunt illae quidem, ſi ſunt litterales, teſtari de lectione verſionis, vnde ſunt factae, de lectione fontis ipſius, certos nos, ſi adcurate loquimur, ſuo teſtimonio minime faciunt, niſi quatenus verſionis immediatae lectiones ſuppeditant.

§. 411.

Sunt autem, hoc non obſtante, verſiones mediatae in criticis diſquiſitionibus vſus ma-

maximi. Non raro enim noſtra quam maxime refert noſſe, quae ſint lectiones verſionis, e qua mediatae ſunt expreſſae, cuius rei exemplum perſpicuum in Verſione LXX., qualis fuit in hexaplis, et in Syriaca N. T. habemus, quarum primae reſtituendae Syriaca hexaplaris, alteri Perſica Euangeliorum et Arabica (Erpenii) Actorum et Epiſtolarum praeclare inſeruire poſſunt.

§. 412.

Sed caute in hoc omni Verſionum vſu circumſpecteque verſandum eſt. Nam primo non eſt perſpicuum ſemper verſionis teſtimonium, ſi interpres, indole forte ſermonis, quo in vertendo vſus eſt, poſtulante, aliter dixit, atque in fonte habetur, aut ſui oblitus non litteraliter, ſed ad ſenſum interpretatus eſt, quod vel in Philoxeniana N. T. alicubi vſuuenire monet Storrius, aut ambigue dubieque loquitur, vt quod potiſſimum verbum in fonte legerit, non adpareat. Eſt deinde ratio habenda vitiorum codicis, quo interpres in vertendo vſus eſt, propriaeque vel inſcitiae vel negligentiae, qua quidem fieri potuerit, vt aut imperite verteret, aut, quo nihil pronius, omitteret, verbum e ſuperioribus, aut vicinis reponeret, et quae ſunt alia eius generis. Atque etiam meminiſſe oportet, quas hodie habemus lectiones verſionum, non ſemper

ſinceras eſſe, textumque earum in multis procul dubio mendis cubare, quod de Verſione LXX, et Syriaca N. T., ut alias nunc taceam, multo veriſſimum eſt. [a] Denique in memoriam reuocandum eſt, quod de Millio ſupra monuimus, eum nempe, cum Verſionum Orientalium textui latino, qui eſt in Polyglottis, nimium fideret, errores ſane quam multos admiſiſſe, eoque nomine vna cum Bengelio a Bodio in Pſeudocritica [b] acerbe vapulaſſe; notandum quoque, lectiones ex iisdem Verſionibus Millium, Bengelium et Wetſtenium non niſi paucas adtuliſſe, plurimas, vel quod copia non eſſet, omiſiſſe, vel negligentia tranſiliiſſe, cuius poſtremi exemplum omni exceptione maius in excerptis Wetſtenii Syriacis habemus. [c]

[a] Recole tamen quae ſupra (§. 391. not.) de textu Syriaco ex Adlero adtulimus.

[b] Prodiit Halae Magdeburgicae 1767 et 69. II Vol. 8.

[c] V. Michaelis (J. D.) Curae in Actus Apoſt. Syriacos. Goettingae 1755.

CA-

CAPUT IX.

De Citatis in libris Veterum occurrentibus eorumque vſu.

§. 413

Ex Citatis Veterum, vti ex Verſionibus, variantes lectiones recte colligi, dubio caret; neque quae Withbius cum adſeclis, vulgatae lectioni nimium patrocinantibus, in contrariam partem et iſthic adtulit, momenti alicuius ſunt, refutanturque ipſo primorum editorum exemplo. *

* V. Caſti Innocentii Anſaldi Ord. Praed. de authenticis SS. Scripturarum apud SS. Patres lectionibus libri duo. Veronae 1746. Wetſt. Animadv. et Caut. Tom. II. N. T. p. 867, Bengel Introduct. in Criſim. N. T. §. XXXII. Obſerv. IV. Griesbach. Diſſertat. de Codicibus Euangeliorum Origenianis. Halae 1771. p. 36.

§. 414.

Illud multo veriſſimum, quod alii monuerunt, de lectionibus Veterum ex editis illorum libris haud tuto ſemper pronunciari, quod ſuſpicio eſſe queat, mutata quaedam ab editoribus, * atque contra fidem Codicum ad receptas S. Codicis lectiones adcommodata. Quod quidem reapſe ita habere,

ex-

exemplo non iam vno confirmari poteſt, praecipueque valet, de Talmudis et librorum Rabbinicorum lectionibus. **

* Ipſi librarii hanc licentiam multoties vſurparunt.

** V. Richard Simon Hiſt. Crit. V. T. lib. I. Cap. XX. Eichh. Einleit. §. 340. 341. Wetſten. cit. loc. Michaelis Einl. §. 97. p. 615. der 3ten Ausg.

§. 415.

Neque vero etiam citatis genuinis ſemper fides habenda, quum in iis ſint, quae vel obiter prolata, vel ex memoria recitata, vel adcommodata alii contextui, luſibusque allegoricis, de lectionibus ſacris aut plane non, aut certe non de ſingulis lectionum vocibus particulisque teſtatum facere poſſunt, cuiusmodi allegationum exempla non ſolum apud Talmudiſtas, et Patres, antiquiores cumprimis, veluti apud Juſtinum *, verum etiam apud ipſos Scriptores Sacros non pauca occurrunt. **

* De Juſtino aliter ſentit Strothius (Repertorium für B. u. M. L. P. I. p. 12.), ſed nobis eruditiſſima ſua commentatione ſcrupulum omnem non exemit.

** V. Richard Simon cit. loc. Eichhorn Einl. §. 339. Gal. III. 8. 13. Hebr. X. 5.

§. 416.

§. 416.

Atque etiam cuius textus citata sint, adtendendum, nisi lectiones Versionum miscere cum lectionibus archetypi, sicque peccare non vno modo velimus. Certe qui cum hebraei textus lectionibus citata Philonis et Patrum Graecorum, aut graeci cum citatis latinorum contendat, eum sexcenties fingere lectionis varietatem, quae nulla est, oportebit; quum constet Philonem * vna cum graecis Patribus graecum, latinum latinos textum sequi **, excepto Hieronymo, qui cónceptis aliquando verbis, quod fit, rarius licet, ab aliis quoque, ad graecas lectiones prouocat.

* Hornemanni Specimen I exercitationum crit. in versionem LXX. ex Philone §. 6. p. 29 et seqq.

** Contrarium defendit Knittel in seinen neuen Critiken über I Joh. V. 7. S. 335 — vbi Vir clarissimus statuit, citata Patrum latinorum, eorum nempe, qui graece sciebant, eiusdem cum citatis Patrum graecorum auctoritatis esse; qua in re vereor, vt Criticorum vlli sententiam suam probauerit.

§. 417.

Ipsum vero textum latinum, quoad N. T. libros spectat, non vnum fuisse, et textus quoque V. T. post Hieronymi laborem plu-

plures recenſiones extitiſſe, in memoriam iſthic reuocandum eſt. Verſio latina, qua in adducendis ſcripturae locis Tertullianus, vt de hoc dicam, vſus eſt, procul dubio diuerſa fuit a Verſionibus latinis aliis, quarum vſus aliis in eccleſiis erat.

§. 418.

Neque citata ſemper eorum ſunt, quorum ſunt libri, ſed interpretum; quae animaduerſio vſum non contemnendum habet in libris Irenaei latine, et Ephraem Syri graece conuerſis, quorum hi obſeruante Millio * graecum, latinum illi (paucis demtis) ** textum in laudandis ſcripturae locis ſequuntur.

* In Proleg. §. 800. 801.

** Vid. Michaelis Einl. §. 98. p. 625. et ſeqq. der 3ten Ausg.

§. 419.

Oritur vero hic quaeſtio de libris a Syris hominibus graece ſcriptis, quem textum, Syriacum, graecumue, allegent? nam quod libros patria linqua ſcriptos ſpectat, credere par eſt, eos Syriaco textui vbique, tam in Veteri nimirum, quam Nouo Teſt., inhaerere. Eo magis vero dubitari poteſt,

an

an graece ſcribentes verſionem patriam penitus neglexerint? coniecturis nihil decidi poteſt, neque fuerit tutum in tanta exemplorum penuria ſententiam praecipitare.*

* Vid. Michaelis cit. loc. p. 627.

§. 420.

In libris Talmudicis Rabbinicisque textum, non Chaldaicum Paraphraſtarum, ſed hebraeum recitari, in vulgus notum eſt; in quibus libris praeterea notandum, quod valet de libris Patrum quoque, textum truncatum adferri, citataque non niſi prima locorum ſacrorum verba continere: quanquam totum hoc, quod hauriri ex Talmude, Rabbinicisque ſcriptis aliis poteſt, parui ferme momenti eſſe adfirmant eruditi.*

* V. Richard Simon Hiſt. Crit. V. T. lib. I. Cap. XX. Eichhorns Einl. §. 339 — 342.

§. 421.

Quem textum Joſephus hiſtoricus in ſuis antiquitatum libris ſequutus ſit, quaeri poteſt, quaeſtioque, vti facile intelligitur, non parui momenti eſt, cum tam antiquitate, quam lectionis varietate Joſephi Archaeologia critico ſeſe commendet. Atque vt dubitari nequit, quin ex Verſione Alexan-

andrina multa ſumſerit Judaicus hiſtoricus, ita probabile admodum fecit poſt Erneſtium * celeber. Michaelis, eum ex textu hebraeo non ſemel hauſiſſe, quanquam forte non toties hauſit, atque viſum eſt viro erudito. **

* Eius Exercitatio Flaviana de fontibus Archaeologiae cum huius Exercitationis Corollario de Joſephi ſtilo iam ſupra (§. 99.) laudanda erat. V. Opuſcula Philologica Critica XXI. XXII.

** V. Or. Bibl. P. V. p. 221. P. VII. p. 189.

§. 422.

Atque ex his, quae adhuc diſputauimus, non erit difficile de praeceptis ſtatuere, ad quae animum aduertere tiro in diiudicandis citatis Veterum debet. Erit igitur primum haec cautio, vt, cum locum quemdam a ſcriptore antiquo excitari viderit, impreſſis exemplaribus ne temere fidem habeat, ſed diſpiciat, an lectio interpolari a librario, vel editore nequiuerit, an cum vulgari et recepta coſentiat, an alibi quoque, ſemperque eodem tenore excitetur, an ſit lectio antiqua vel recens, ad quam recenſionem pertineat, an contextus eam poſtulet, an ſit poſita eo loco, vbi interpolatoris auſui locus nullus fuit. Proderit aliquando lectionis varietatem, quae eſt

edi-

editionibus adiecta, consulere, omniumque optimum fuerit, si copiam habuerimus, scripta exemplaria ipsa adire. Certe Talmudicorum Rabbinicorumque librorum, itemque librorum Josephi * citata genuina in editis libris frustra quaeruntur.

* V. Supra laudata Exercitatio Flaviana §. X. et seqq. XXII. et seqq. Item Corollarium de Josephi Stilo n. 1. et seqq.

§. 423.

Quodsi suspicio in librario vel editore nulla est, porro, expendendum veniet, an scriptor ipse aberrare nequiuerit, an non forte studio dataque opera sacri textus verba mutarit truncaritue. Itaque videndum, quem morem excitandi scripturae testimonia vniuersim teneat, religiose an laxe verba locorum S. habeat, memoriaene suae nimium fidat, an adcuratum diligentemque se vbique praestet; exquirendum dein consilium scribendi, citatum cum contextu conferendum, argumentum libri spectandum, num commentarius sit, num vero tractatio polemica, mysticaue lucubratio. Haec si adtendantur, haud difficile erit plerumque iudicium, quam in classem referendum sit scriptoris citatum, quoue loco habendum, sententiamque nostram firmabit, dubiumque, si quod reliquum est, omne non raro exi-

met lectionum hiſtoria, quam dabunt Millii Wetſteniique referti margines.

§. 424.

Non adiicimus praecepta alia, quae ex ſupra dictis ſponte profluunt, explicatumque perfacilem habent; illud vero monemus, non aliud ſacrae critices praeſtantius ſubſidium eſſe, atque quod a citatis Veterum petitur. Certe hiſtoria textus ſacri, Noui maxime Teſtamenti (nam ad huius lectiones cumprimis vſus citatorum pertinet), ſine allegationibus Veterum in multis obſcuriſſima foret. Allegationibus enim hiſce deſtituti, *neque antiquiſſimorum codicum*, verba ſunt ſummi critici *, *variarumque recenſionum aetas et patria rite definiri poſſet, neque certi quidquam haberemus, quod de conditionibus et viciſſitudinibus textus graeci, primis poſt natum Chriſtum ſeculis, proferremus.* Optandum itaque quam maxime, vt ſint impoſterum, qui tanto ſtudio, tantoque labore in colligendis citatis Veterum deſudent, quanto deſudarunt Millius, Wetſteniusque in colligenda codicum varietate; nam exiguum ferme eſſe, quod adhuc in hoc genere a Viris eruditis praeſtitum, ſummi critici monuerunt. **

* Griesbachii in hiſt. text. Paul. Sect. I. §. 13.

** V. Michaelis Einl. §. 99. Griesbach cit. loc., vbi vterque ſimul indicat, qua methodo in hoc negotio futuro Critico verſandum ſit. Diſco ex Michaelis Zuſätzen p. 156., Venerabilem Griesbachium, hoc quoque argumentum tractaſſe, excerptaque ex Origene feciſſe, quae tamen lucem necdum adſpexerunt.

CAPUT X.

De Variis lectionibus, earum cauſſis, fontibus, iudicio et delectu.

§. 425.

Egimus adhuc de codicibus Mſſ., de editionibus, Verſionibus, libris denique citatisque Veterum, vſumque quem habere in colligenda lectionis varietate poſſunt, indicauimus; ſequitur, vt nunc de ipſa lectionis varietate praecipiamus.

§. 426.

Manifeſtum eſt, apographa librorum ſacrorum, quae hodie habemus, ex archetypis fluxiſſe, ſanaque et ab errore immunia eſſe haud poſſe, niſi eiusmodi archetypa ipſa fuerint. Itaque antequam de cauſſis va-

varietatis, quae in codicibus, Verſionibus caet. librorum ſacrorum conſpicitur, deſiniamus, de archetypis ipſis videndum eſt.

§. 427.

Archetypa librorum ſacrorum, quorumdam certe, αυτογραφα et ιδιοχειρα fuiſſe, facile conſentiunt omnes; at nullum fuiſſe archetypon, quod idem αυτογραφον non eſſet, Paulli et Jeremiae exemplo, vt nihil aliud nunc dicam, manifeſte confutatur.

§. 428.

Quodſi itaque dictauit ſcriptor ſacer, dictantisque vocem male excepit librarius, vel recte excipiens vitioſe ſcripſit, aberrante manu, vel orthographiae leges migrante, errores quosdam, licet et paucos, et facile emendandos, in ipſo archetypo enaſci oportuit. Relectos quidem fuiſſe libros ab ipſo, qui dictauerat, ſcriptore ſacro, vti non negari, ita neque adfirmari poteſt. Quanquam hoc etiam conceſſo orthographiae quaedam peccata perſiſtere poterant, quae procul dubio ne ab iis quidem, qui litteras exararunt ipſi, ſcriptoribus ſacris euitati ſunt.

§. 429.

§. 429.

Grauioribus paullo erroribus obnoxii esse poterant libri ex antiquis monumentis aliis exscripti, vel ex *populari* traditione collecti, quo loco habendos Eichhornius putat Psalmos quosdam, et nonnullas Proverbiorum sententias; sed opinio nullis sat certis argumentis nixa est, et quae Prov. XXV. 1. XXX. 1. XXXI. 1. leguntur, explicatum perfacilem habent, neque suspectas reddere, quod concedit Eichhornius, sententias ipsas possunt. *

* Non aliter iudico de loco I Mos. VII, 9. coll. 16, ex quo probare vult Eichhornius, scribendi vitium facile admissum esse ab auctore libri, qui librum alterum, antiquiorem nempe, in compendium redigeret, aut noua forma donaret. Nam num ex scribendi vitio ortum sit, quod cit. loc. v. 16. habetur, dubitari potest, cum de consilio auctoris non satis constet. Ad exempla quidem alia prouocat Eichhornius (qualia forte non pauca, ex Regum cumprimis chronicorumque libris, adferri possent), sed mihi nulla sat perspicua occurrunt. Vid. Eichhorns Einl. §. 86. 85.

§. 430.

Magis in eo sententiam suam nobis probauit Vir maximus, quod duplicem Oraculorum Jeremiae, et Psalmorum quorum-

rumdam recenſionem ſtatuat; qua quidem ex opinione nemo non videt conſequens eſſe, vt lectionis quaedam varietas in archetypa ipſa refundenda ſit. *

* V. Eichhorn Einl. §§. 540. 82. 83. 93. de Roſſi Vol. IV. Var. Lect. Differt. prael. p. XIV.

§. 431.

Cauſſas varietatis in apographis plenius, diſtinctiusque procul dubio peruideremus, ſi, quae ad ductus litterarum earumque formas in archetypis ſcriptisque aequalibus, compendia forte etiam, aliaque eius generis ſpectant, certius nobis ex hiſtoria antiquitatibusque innotuiſſent; nunc cum haec omnia dubitationibus obnoxia ſint, de primorum librariorum peccatis minus expeditum eſt ſtatuere. *

* V. Griesbach Hiſt. Text. Paul. Sect. II. §. 2.

§. 432.

Peccata eiusmodi numero non pauca inde ab eo tempore, quo exemplaria ſacra exſcribi coepta ſunt, admiſſa a librariis eſſe, praeterquam quod exemplis confirmari quotidianaque experientia poteſt, ipſa hiſtoria lectionum docet, ex qua conſtat, vtriusque codicis ſacri falſas lectiones eſſe, quarum

rum antiquitas monumentorum, vnde hauriuntur, antiquitatem longe ſuperet. De graecis N. T. lectionibus res notiſſima eſt; multae vero etiam ſunt lectiones hebraeae, quas ante tempora verſionis Alexandrinae in codicem ſacrum irrepſiſſe, critici paſſim monent.

§. 433.

Quantopere ſequutis temporibus numerus mendorum increuerit, codices, ex quibus varias lectiones Millius Wetſteniusque collegere, loquuntur. Neque aliter fieri poterat; codex enim codice mendoſior in transſcribendo fieri debuit, accedente praeſertim librariorum et negligentia, et inſcitia.

§. 434.

Neque *negligentia* et *inſcitia* ſolum peccatum eſt, acceſſit non raro mutandi emendandique *temeritas*, quam non *correctores* codicum modo, verum ipſi etiam exſcriptores multipliciter vſurpabant.

§. 435.

Atque vt de vtraque falſarum lectionum cauſſa enucleatius nonnihil dicamus, obſeruabimus primum, negligentiae et inſci-

ſcitiae librariorum deberi errores innumeros, qui ex permutatione vocalium et diphthongorum in graecis, conſonantium quarumdam tam in graecis, quam hebraicis orti ſunt; errores item, quos peperit mala vocum vel diuiſio vel coniunctio (§. 275.), abbreuiationum falſa interpretatio *; errores porro memoriae, dum obiter exemplar inſpicit librarius, et ſecurus nimium exſcribit; errores oculorum, dum quaedam tranſilit, maxime, vbi ὁμοιοτελευτον viſum alio abducit; errores aurium et iudicii, dum dictata non recte percipit, vel exſcribens gloſſas cum textu permiſcet, in hebraicis cuſtodes vocibus iungit, non intellectis notiora ſubſtituit, ex recenſione textus vna emendandam alteram putat, vel vtramque permiſcet, et quae ſunt alia eius generis. Hebraeis praeterea librariis multipliciter impoſuit conſuetudo aliter legendi, aliterque ſcribendi, amor calligraphiae et dialectorum diuerſitas; multam poſtremo lectionis varietatem peperit vagus, nullisque certis legibus adſtrictus matrum lectionis vſus. Exempla innumera Variantium lectionum collectiones ſuppeditant. **

* V. Griesbach Hiſt. Text. Paul. Sect. III. §. 6.

** V. Eichhorn Einl. §. 92. et ſeqq. Michaelis Einl. §. 42. et ſeqq.

§. 436.

Non pauciora, quin plura sunt, iudice Wetstenio, grauioraque *temeritatis* peccata, quae admissa in vocibus singulis et sententiis; vti cum librarius, quod obscurum putat, explicat ipse, vel scholiis aliorum, ex margine sumtis et in textum intrusis illustrat, quae in contextu sunt posita, delet, Midraschim infercit, phrasi minus graecae elegantiorem substituit, loca parallella, et in hebraicis recensiones quoque librorum diuersas contendit, quodque vno loco vel abundare, vel deficere putat, male sedulus vel multat, vel supplet [a], quae pugnare videntur, conciliat, voces etiam phrasesque immutat; alias coniecturis indulget acumenque ingenii exercet, quorum explicatum non videt, nulla putat, orthodoxiae studio se abripi patitur, quae in haereticos intorqueri possunt, auide arripit; denique, quod, fatente etiam Griesbachio [b], in Paullinis epistolis Marcion fecit, textum sacrum aperte corrumpit; quorum omnium rursus exempla non pauca Millii Wetsteniique margines, aliqua etiam Kennicotti et de Rossi variae lectiones sufficient. [c]

[a] *Magnus siquidem*, de latinis Codicibus conqueritur praef. in Matth. Hieronymus, *hic in nostris codicibus error inolevit, dum, quod in eadem re alius Euangelista plus dixit, in alio, quia minus putauerint, addiderunt; vel dum eundem sensum alius*

alius aliter expreſſit, ille, qui vnum e quatuor primum legerat, ad eius exemplum caeteros quoque exiſtimauerit emendandos. Vnde accidit, vt apud nos mixta ſint omnia caet.

b Hiſt. Tex. Paul. p. 92.

c V. praeter ſupra laudatos Wetſtenius Animadv. et caution. Tom. II. N. T. p. 851. — Griesbach cit. loc. Sect. III. §. 3. —

§. 437.

Varietatis huius, cuius cauſſam in libra-riis vniuerſim quaerendam adhuc vidimus, fontes eſſe quatuor, facile perſpicitur, et ex iis quoque, quae in antegreſſis diſputavimus, colligi poteſt. Nam cum ſacrae lectiones vel ſcriptis et editis exemplaribus, vel Verſionibus, et ſcriptis Veterum contineantur, in propatulo eſt, qui lectionum vel conſenſus, vel diſſenſus ſit, ex his ipſis intelligi poſſe.

§. 438.

Eſt vero ſingulorum fontium aliqua ſimul auctoritas, qua noſtrum in examine Variae lectionis iudicium moderentur, quae, quoniam non ſemel diſſenſu aliorum incerta redditur, nimirum, vbi codices a Verſionibus, Verſiones a citatis, citata ab editioni-

nibus caet. diffident, de auctoritate singurum videndum.

§. 439.

Atque hic moleſtiſſimum accidit, quod, quae in genere dari poſſunt praecepta, ea in ſingulis exemplis ferme repudianda ſint, canonque criticorum nullus exiſtat, qui innumeris exceptionibus obnoxius non ſit; quod mirum videri illis non poteſt, qui quam omnia in codicibus Verſionibus caet. permixta ſint, tenent.

§ 440.

Itaque, quae in genere de Verſionibus, citatis, codicibusque iam dicemus, ea ſic intelligi velimus, vt ordinem, quem ſingulis adſignabimus, in exemplis ſaepiſſime permutandum concedamus. Atque hoc generali monito praemiſſo primum locum Patrum antiquorum citatis, et Verſionibus antiquis, hisque poſtremis, Verſionibus nimirum, vel maxime in Veteris Teſt. libris, concedendum exiſtimamus. Cuius quidem rei rationem hanc dare poſſumus, quod et in graecis, et in hebraicis, atque in his cumprimis, nullus Codex mſ., quoad antiquitatem adtinet, cum Patribus Interpretibusue compararari queat, purioremque etiam

tex-

textum, vti nos quidem iudicamus, citata Verſionesque vt plurimum ſiſtant.

§. 441.

Poſt Verſiones, et citata veniunt codices antiqui, et iuniores ex antiquis exſcripti, qui nimirum paullo caſtigatiores perſtitere, nec tantam labem ſeu ex Conſtantinopolitana recenſione, quoad graecos ſpectat, ſeu, quoad hebraicos, ex Maſorethicis lectionibus traxere, quales quidem ex graecis ſunt Codex Alexandrinus *, Vaticanus, Ephraem, Cod. L., Cantabrigienſis cum caeteris graecolatinis antiquioribus, Codices apud Wetſt. Tom. I. 1. 13. 33. caet. Tom. II. 17. 46. 47. **, ex Hebraicis ii ferme, quos Germanicis et Italicis accenſent.

* In Actis et epiſtolis; nam in Euangeliis, iudice Griesbachio, recenſionem Conſtantinopolitanam ſequitur.

** V. Griesbach Vol. I. N. T. praef. p. XIV. Vol. II. praef. p. VI.

§. 442.

Tertium locum occupant codices graeci Conſtantinopolitanae recenſionis, et Hebraei Maſorethici, quorum vtrique codicibus caete-

teris magis interpolati sunt, minusque adeo in iudicio de sinceritate lectionis momentum faciunt, quo ex genere sunt graeci iuniores plerique, et Hebraei, demtis germanicis et Italicis, caeteri.

§. 443.

Incertum locum occupant Editiones, vtpote quarum lectiones ex diuersis admodum fontibus fluxere, vt iam ad primum, iam ad alterum, tertiumque ordinem redigendae sint, vti nimirum ex his, vel illis monumentis editores hausere. Vbi fatendum est, maiorem graecarum, quam hebraicarum editionum auctoritatem esse, quum adparatu Critico editores hebraei minore, minusque bono, quam graeci, in concinnando textu biblico vsi sint.

§. 444.

His ita constitutis, reliquum est, vt de vsu variarum lectionum videamus, praeceptaque adferamus, quibus tiro criticus in perdifficili lectionum examine adiuuetur. Quo loco nemo a nobis expectabit praeter canones quosdam generales, summaque monita, ad quae vsus fontium, vnde variae lectiones hauriuntur, exigendus sit. Et quoniam diuersa sunt, quae tradenda veniunt de varietate lectionis codicis vtriusque

que, de codice ſacro V. T. primo loco videbimus.

§. 445.

Antequam vero canones ipſos adferamus, in variis lectionibus vniuerſim *antiquitatem*, *bonitatem* et *veritatem* diſtinquendam monemus; et cum, quam lectionem *antiquam*, *veramque* dicamus, dubium eſſe nequeat, de bonitate adiicimus, eam partim *verborum* et *conſtructionis*, partim *ſententiae* eſſe, vt bona ſit lectio, vel quae ſenſu, vel quae grammatico habitu ſeſe commendat; quod poſtremum non ita accipi volumus, ac ſi bona lectio ea demum foret, quae eſt grammatice melior, ſed ea, quae eſt ſtilo auctoris conformior. Quo poſito bona eſſe lectio poterit, quae eſt incultior, dum talem eſſe ſtilum auctoris conſtiterit.

§. 446.

Atque his praeſtitutis canones ſequentes ſtatuimus.

1. *Nulla lectio vera eſſe poteſt, quae eadem bona non ſit, ſed non contra omnis bona ſimul etiam vera eſt.* Pronunciati vtrivsque aequitas in propatulo eſt. Nam primum non temere lectio pro ſincera haberi poteſt, quae et a ſtilo auctoris, et a con-

tex-

textu aliena eſt. Multae deinde lectiones ſpuriae ad contextum adprime faciunt, quae ſunt vel a ſollerti librario excogitatae, vel a parum fido in textum intruſae.

§. 447.

II. *Vera eſſe poteſt lectio, quae eadem antiqua non ſit, vti ex aduerſo falſa, quae antiqua.* Fac lectionem aliquam neque textu Samaritano, neque Verſione LXX. aliaue, ſed codicibus mſſ. ferme contineri, non erit ea lectio antiqua; at non ideo falſa: nam et textus Samaritanus, et verſiones antiquae ad vnam omnes pluribus ſeculis a fonte diſtant, poſſuntque vitiatae eſſe non modo ſingulae, verum etiam vniverſae, quod poſtremum partim ex eadem cauſſa intelligitur, partim ex eo quoque, quod numero tam multae non ſint, vt vitium commune incredibile fiat, apographaque etiam tam verſionum, quam textus Samaritani minime ſincera habeamus. Quod alterum adtinet, nempe falſam eſſe poſſe lectionem, quae eadem antiqua ſit, id poſt modo dicta explicatione non indiget. *

* Huic et ſequentibus paragraphis illuſtrandis inſeruire poſſunt Numeri Bibliothecae Orientalis, quibus de Vet. T. Kennicottiano et diſſertatione generali, Variis lectionibus de Roſſi, Variis item lectionibus, quas ſequutus eſt in verſione ſua V. T. Michaelis, agitur.

§. 448.

III. *Potest vera esse lectio, pro qua pauci nonnisi, immo nulli codices faciant.* Primum enim non est necesse, vt codicum, qui veram forte olim lectionem habuere, multa nobis hodie apographa suppetant, potestque codicum, quos habemus, potior numerus ex paucis admodum, interpolatisque exemplaribus fluxisse, quod ipsa codicum hodiernorum ab origine distantia cumulate declaratur. Huc accedit, quod pauciſſimi hodie supersint codices, quos ad Masorae leges non refinxerit Judaicorum librariorum temeritas. * Hinc vero simul, quod altera canonis parte posuimus, sequi videtur, veram nempe lectionem a codicibus omnibus exulare posse. Quidni enim paucos illos codices, qui meliorum essent apographa, corruperit Masoretharum superstitio, vel absconderit in Ghenizoth **, vt taceam interire alia ratione potuisse, vel forte in Bibliothecis adhucdum latere.

* *Nec mss. euoluentes*, verba sunt de Rossi, *sine admiratione et indignatione conspicimus, vix esse codicem, vix codicis plagulam, vix lectionem paullulum a masora recedentem, quam Judaeus scriba ad illius praescriptum non abraserit, correxerit, mutarit.* Dissertat. praelim. Vol. IV. V. L. p. IV.

** V. de Rossi Adparatus Hebraeo-biblicus ad Cod. 120. Eiusd. Proleg. P. I. §. XV.

§. 449.

IV. *Lectio, quae nullo codice, nulla verſione exhibetur, non neceſſario falſa eſt.* Oſtendi enim nequit, codices et verſiones ex tot diuerſis exemplaribus fluxiſſe, vt error in vtrisque, inuerosimilis haberi debeat. Neque codicum certe, neque verſionum hiſtoria cogit, vt diuerſas admodum exemplarium, vnde ortum traxere, recenſiones ſtatuamus, quin verosimile eſt, in Oriente latere codices, quorum lectiones in locis pluribus a codicibus et verſionibus omnibus diſcedant. Huc accedit, quod codicum, vti §. antegreſſo vidimus, non magnum pondus ſit, paruusque verſionum numerus non parum de illarum auctoritate detrahat.

§. 450.

V. *Sine grauibus rationibus defendi nequit lectio, quam praeter codices verſio antiqua nulla, vel paucorum nonniſi codicum, vel nullius plane ſeu codicis, ſeu verſionis ſuffragium firmat.* Generatim enim ex eo, quod veras eſſe poſſe lectiones, quae ſunt eiusmodi, oſtenderimus, non ſequitur, vt verae ſint. *

* V. Michaelis Or. Bibl. P. XI. p. 90. P. XVIII. p. 106. et ſeqq.

§. 451.

VI. *Verſiones antiquae et immediatae, praeſertim vbi earum plures conſentiunt, validiſſime confutant codices.* Multis enim ſeculis recentiores ſunt codices verſionibus, grauibusque dubitationibus eorum auctoritas obnoxia eſt. Debet vero conſtare de verſionum lectionibus; caetera enim valde interpolatas eſſe verſiones, alibi monuimus.

§. 452.

VII. *Verſiones mediatae quoque, vbi conſentiunt earum immediatae, vel vbi immediatarum diſſenſus veroſimiliter interpolationi debetur, multorum codicum pondus ſuperant.* Siſtunt enim textum Verſionum immediatarum valde antiquum, harumque lectiones praeclare confirmant. Exemplum perſpicuum in verſione Syriaca hexaplari habemus.

§. 453.

VIII. *Vbi diſſentiunt verſiones antiquae, non vnius antiquitatis, ſed puritatis quoque ratio habenda.* Recte habere canonem, docet Verſio LXX. omnium antiquiſſima, ipſeque etiam textus Samaritanus, qui cum valde conſentit.

§. 454.

§. 454.

IX. *Patres textum hebraeum adpellantes, Josephique Antiquitates a Versione graeca dissidentes non semper certos nos reddunt de lectionibus textus hebraei.* Enimuero Patres, Origenem et Hieronymum excipimus, cum textum hebraeum nominant, versionem aliquam graecam plerumque intelligunt; Josephus vero, quamuis c. Apionem I §. 10. dicit, se omnia e libris sacris sumsisse, haustit tamen ex fontibus aliis quoque, neque glossis seu propriis, seu alienis caret eius Archaeologia. **

* De Ephraem Syro non constat.

** V. Ernesti Exercitatio Flaviana de fontibus Archaeologiae §. XIV. et seqq.

§. 455.

X. *Non nullius ponderis est textus Masorethicus, valet tamen in multis contra illum codicum auctoritas.* Primum patet ex eo, quod corruptus a *falsario* nunquam sit, emendatioque, quae seculo circiter sexto Tiberiade suscepta est, alicuius, licet non magni, momenti existimari queat. Alterum sic declaratur: textus Masorethicus multos procul dubio errores consecrauit, neque recensionem textus tam antiquam

fiſtit, vt codicum lectiones eiusdem lectionibus non frequenter anteponendae ſint.

§. 356.

XI. *Codices Germanici et Itali maioris in lectionum examine faciendi ſunt, quam Hiſpani.* Primi enim recenſionem hinc inde ſiſtunt a Maſorethica diuerſam, alteri Maſorethicam, vt alibi diximus; itaque ab his parum, multum ab illis in textus S. emendatione expectari poteſt.

§. 457.

XII. *Codices antiqui recentioribus plerumque praeferendi.* Collatio enim codicum docuit, recentiores magis, quam antiquos a Maſorethis interpolatos eſſe.

§. 458.

XIII, *Codex negligenter ſcriptus hoc vno nomine diligenter ſcripto non eſt poſtponendus.* Melioris enim codicis apographum eſſe poteſt, ſcribendique negligentia lectiones bonas non oblitterat.

§. 459.

XIV. *Editiones antiquae non raro Codicibus praeſtant.* Plures enim lectiones va-

variantes fuppeditant, quam codicum pars magna, textumque faepe exhibent a Maſorethis minus interpolatum.

§. 460.

XV. *Lectio grammatice melior non ſemper praeferenda, quin aliquando repudianda.* Stilo enim differunt ſcriptores ſacri, neque a vitiis grammaticalibus immunia ſemper ſunt eorum ſcripta.

§. 461.

XVI. *Lectio obſcurior praeſtat clariori, niſi peculiaris ratio ſubſit, cur hanc cum illa commutarit librarius.* Non enim claris obſcuriora, ſed contra, ſubſtituunt, qui textus verba commutant.

§. 462.

Atque hi ſunt ferme canones generales, quorum vſus in examine lectionum eſſe poteſt; iidem tamen tam quoad pleraque vagi, vt nemo iis ſolis munitus recte ad inſtituendum lectionum delectum accedat; quod tiro monendus eſt, ne ſe leuiter grauiſſimo aeſtimandarum lectionum negotio immiſceat, quod ſibi vindicare non niſi is poteſt, qui multa exercitatione, multoque labore ſibi paullo adcuratiorem fontium, vnde variae lec-

lectiones defumuntur, notitiam comparauit, vt non folum in genere norit, vter vtri praeferendus fit, fed id fingillatim perfpicue declarare valeat.

§. 463.

Veniunt iam canones alterius generis, quibus nempe monita generalia, ad quae in examine lectionum N. T. refpiciendum erit, continentur, funtque hi ferme:

I. *Lectio vera plerumque antiqua eft, at antiqua lectio perfaepe falfa.* Primum patet ex eo, quod Verfionum antiquarum, codicum, fcriptorumque Eccleſiaſticorum, licet non nimium magnam, tantam certe copiam habeamus, vt non admodum verofimile fit, lectionem veram in nullo prorfus eiusmodi inftrumento antiquo comparere. Alterum ex eo, quod antiquiffimas recenfiones, Occidentalem nimirum et Orientalem primis mox temporibus lectiones fpuriae non paucae peruaferint.

§. 464.

II. *Antiqua lectio vera effe poteft, etfi perpaucos teftes numerat.* Et antiqui enim, et recentiores teftes interpolati funt; et quanquam antiqui puriores funt recentioribus, tamen minor eft eorum numerus, et multis in locis filent.

§. 465.

§. 465.

III. *Lectio pro qua nullus facit teſtis, non ideo certo falſa eſt.* Neque enim, an archetypa ab omni errore immunia fuerint, neque, an ex archetypis multa exemplaria fluxerint, certo tenemus, potuereque librarii antiquiſſimi vel errare in deſcribendo, vel forte etiam nimia libertate vti.

* V. Or. Bibl. P. XXI. p. 159. et ſeqq. Zuſätze der 4ten Ausg. von der Einl. p. 157.

§. 466.

IV. *Coniectura critica cautiſſime, proponenda eſt.* Pauca enim admodum eſſe poterant archetyporum errata, et, quae inde fluxerunt apographa, ſi multa fuere, in mendo cubare vniuerſa vix poterant, ſi pauca, paruum eſſe mendorum numerum oportuit: neque, quo loco peccatum ſit, aut quam fidus vel infidus antiquiſſimus exſcriptor fuerit, vllo pacto demonſtrari valet. Codices deinde, Patres et Verſiones ab origine non tantum diſtant, vt multis in locis veritatem ab *omnibus* deſertam, adfirmari queat. *

* Coniecturas criticas collectas dedit Bowyer in Coniectural Emendations on the N. T., qui liber ger-

germanice versus auctus et emendat. curante Schulzio Lipsiae 1774., denuo auctus Londini 1782. prodiit. De Coniectura Theologica Vid. Michaelis Einl. §. 104.

§. 467.

V. *Patres, qui textu recensionis Alexandrinae vsi sunt, Clemens Alex., Origenes, Eusebius, Athanasius, Cyrillus, Isidorus Pelusiota, maxime vbi consentientes habent Patres latinos et Versionem latinam cum Versionibus Syriaca Philoxeniana, Coptica, Æthyopica et Armena, testimonium ferunt omni exceptione maius.* Ambarum enim antiquissimarum recensionum conspirans est testimonium, quod validiori alio nullo infirmari potest.

§. 468.

VI. *Vbi in partes discedunt latini, et qui Alexandrinam recensionem sequuntur, auctoritas dubia est, veritate iam his, iam illis patrocinante.* Vtriusque enim recensionis sui naeui sunt, nisi quod pauciora forte sunt Alexandrinae, quam Occidentalis recensionis peccata. *

* V. Griesbach Hist. Text. Paul. Sect. II. Quod Alexandrinam recensionem adtinet Vid. Ernesti Commentatio de Origene, interpretationis librorum

rum S. grammaticae auctore, quae eſt in Opuſculis philologicis Criticis XVIII., §. XVII. et ſeqq.

§. 469.

VII. *Omiſſio Alexandrinos, interpretamenta et additiones, ſcribendique vitia latinos ſuſpectos reddunt.* Primum enim quod adtinet, ſaepius Alexandrinae, quam Occidentalis recenſionis exemplaria transſcripta eſſe videntur, proniorque adeo in illis, quam in his fuit omiſſio; interpretamenta vero magis necessaria in Occidente, quam in Oriente videri poterant. Denique ſcribendi vitia tot apud graecos, quot apud latinos librarios nemo expectabit.*

* V. Griesbach cit. loc. Sect. II. §. 9. et 15.

§. 470.

VIII. *In gloſſis dictionem illuſtrantibus non temere fides adhibenda Alexandrinis contra latinos.* Gloſſarum enim eiusmodi ortus apud homines Alexandrinae recenſioni addictos facile explicatur.*

* V. Griesbach cit. loc. Sect. II. §. 13. et 15.

§. 471.

IX. *Syriacae verſionis maius in diſſenſu, quam conſenſu cum Verſione latina et codicibus recentioribus pondus eſt.* Sincerae enim lectionis argumentum diſſenſus, interpolationis ſuſpicionem conſenſus praebet.*

* Vid., quae §. 390. de verſione Syriaca monnimus; vbi tamen fatendum, dubia adhuc quaedam ſupereſſe, quibus explicandis non ſumus.

§. 472.

X. *Verſiones Coptica, Æthiopica et Armena in confirmandis lectionibus magnum momentum faciunt.* Et antiquae enim ſunt, et recenſionem Alexandrinam ſequuntur; neque latiniſmi accuſatio, quae vage nimium a quibusdam criticis intorquetur, ſatis adhuc demonſtrata eſt. Caeterum non diffitemur, cautum eſſe in Actis Æthyopicae verſionis vſum debere (§. 402.).

§. 473.

XI. *Non aliter de verſione Philoxeniana iudicandum, quae praeterquam quod litterae vbique inhaereat, varias in margine lectiones adiunctas habet, quae ſunt maximi faciendae.* Tam textus enim, quam variae lectiones ex recenſione Alexandrina fluxere, vti par-

tim

tim subscriptio, partim collatio fidem facit. Interpolationes ex Syriaca veteri quod adtinet, eae tot tantaeque non sunt, vt adsertum nostrum tollant.

§. 474.

XII. *Versio Gothica lectiones tam graecas, quam latinas Hieronymianis antiquiores praeclare confirmat.* Est enim, vt alibi diximus, ex graeco, et latino quarti seculi textu facta.

§. 475.

XIII. *Codices antiquissimi, et in his Codex Ephraem, L., et Alexandrinus, in epistolis* *, *testes sunt post Patres Alexandrinos longe grauissimi.* Primum enim ipsa sese antiquitate commendant; puriorem deinde recensionem Alexandrinam, quam codices quidam recentiores, exhibent, et qua adhuc laborarunt latinismi suspicione maximam partem purgati sunt. **

* De Vaticano necdum satis constat. Scripseram haec, cum libraria mea suppellex splendida Quatuor Euangeliorum editione Andreae Birchii augeretur, in cuius prolegomenis p. XIII. seqq. de codice Vaticano Vir doctus differit, et p. XIX. adfirmat, nullum codicem *Origeniano textui propius accedere, et tam multas exhibere lectiones, in quibus cum Origene solum conuenit*, atque Vaticanum;

num; *miram* praeterea *in lectionibus singularibus cerni conuenientiam eum codd. Parisinis* 9., 62., *Cantabrigiensi*, *et Versione Syra* Philoxeniana; denique codicem hunc Vaticanum, *vt in Euangeliis, ita in reliquis* N. T. *libris, vnam, eamque probatissimam textus editionem sine recensionem exprimere.*

** V. de Cod. Ephraem seu C. et L. Griesbach Symbol. Crit. de Alexandrino Bengel Introduct. in Crisin N. T. §. XXXII. Observ. XV. Michaelis Zusätze zur 3ten Ausg. p. 103. et seqq. Cf. Wetst. Tom. I. p. 12. et seqq.

§. 476.

XIV. *Codicum recentiorum persaepe ingens numerus paucis testibus antiquis posthabendus est.* Ad vnam enim non raro familiam pertinent, recensionemque etiam suspectam sequuntur.*

* V. Bengel Introd. in Cris. N. T. §. XXXII. observ. XXX.

§. 477.

XV. *Codex recens in singulis lectionibus non raro praeferendus codici, aut versioni antiquissimae.* Dantur enim inter codices recentiores praestantissimi, quorum lectiones sinceriores esse in quibusdam locis lectionibus codicum et versionum antiquitate insignium nihil prohibet.

§. 478.

§. 478.

XVI. *Codex, qui hinc inde coniecturas prodit, argutique librarii ingenium expertus esse videtur, in lectionibus, quae huic suspicioni obnoxiae sunt, testis nomen haud meretur.* Non enim librarii argutatio, sed textus sacri lectio in codicibus quaeritur.

§. 479.

XVII. *Editionum consensu lectionis sinceritas non valde roboratur.* Pleraeque enim omnes editiones ex Complutensi et Erasmicis fluxere, quarum fontes et pauci, et non optimae notae fuerunt.

§. 480.

XVIII. *Lectio, cuius interpolatio expensis omnibus facilius explicatur, pro interpolata habenda est.* Nulla enim ratio adparet, cur pro interpolata habeamus eam, cuius interpolatio difficilius explicatur, eoque minus verosimilis est.

§. 481.

XIX. *Lectio breuior prolixiori, ni peculiaris ratio obstet, praeferenda.* Nullum enim interpolationis genus, obseruante magno Wetstenio calculumque adiiciente Gries-

Griesbachio, frequentius, quam quod in gloſſis et interpretamentis conſiſtit. *

* V. Wetſt. Animadv. et caut. Tom. II. N. T. p. 855. Griesbach Hiſt. Text. Paul. Sect. III. §. 3.

§. 482.

XX. *Lectio elegantior meliusque graeca rudiori et hebraizanti, generatimque facilior difficiliori poſtponenda.* Omnium enim N. T. ſcriptorum ſtilus valde impurus et hebraizans eſt, et facilior lectio e difficiliori rectius, quam contra orta eſſe cenſetur.

§. 483.

Allatis iam generalibus hiſce praeceptis monemus rurſum, quod ſupra monuimus, cum de lectionibus variis V. T. praeciperemus, ea non eiusmodi a nobis exiſtimari, quibus vnis ab omni errandi periculo in criticis disquiſitionibus ſatis tutus ſit tiro criticus; quin experientia edocti fatemur, praecepta haec pertenuem in conferendis variis lectionibus vſum habere, omnemque critices fructum in vna exercitatione, fontiumque exploratione et contentione multiplici et adtenta poſitum eſſe: de quo, qui dubitat, is ſecum perpendat, quam difficile ſit certum de *facto* quopiam iudicium de-

pro-

promere, vbi teſtium iam vera, iam falſa eloquentium auctoritate res agitur. Itaque, ſi qua in re, in criticis hiſce disquiſitionibus modeſte verſandum eſt, ne, cum temere pronunciauerimus, non modo turpiſſime aberremus in iudicando, verum etiam quod maioris multo momenti eſt, ipſa oracula ſacra temeremus.

DE-

DELINEATIO
HISTORIAE EXEGESEOS.

§. 1.

Quandoquidem Scriptorum sacrorum multiplex apud eos, qui eorumdem veneratione tenebantur, vsus fuit, numquam non in Ecclesia vtraque, Judaica nimirum et Christiana extitere homines, qui litteras sacras interpretarentur.

§. 2.

Et cum hominum cultura, adiunctaque, in quibus versarentur, diuersis temporibus, diuersa admodum essent, multaque in Scriptis sacris insint, quae interpretationem variam admittunt, contigit, vt pro diuerso eruditionis profanae et sacrae statu, pro diuersis etiam adiunctis variaret apud Judaeos Christianosque interpretandi ratio.

§. 3.

§. 2.

Fuit, cum nulla inſtitutione, qualem Philoſophia ſuppeditat, vterentur, vel vti poſſent Judaei: tum enimuero ſimplicem admodum rudemque litterarum ſacrarum explanationem apud eosdem obtinuiſſe, prona coniectura eſt. *

* Num Prophetae diſcipulis ſuis (II. Reg. II. 3.) Scripturam interpretati ſint, quod volunt aliqui, quamue in interpretando methodum adhibuerint, omni ex parte incertum eſt.

§. 4.

Verum ſimul atque in exilio Babylonico cum populo Chaldaico conſueuere, ideasque nonnullas Philoſophiae Chaldaicae ſibi familiares reddidere, faciem aliam exegeſis Judaica induere potuit, videnturque etiam ſcripta quaedam poſt hanc rerum Judaicarum conuerſionem elucubrata ſuſpicionem hanc confirmare.

§. 5.

Poſt Alexandri Magni tempora, vbi graecas litteras, Graecamque Philoſophiam noſcere coepere Judaei, mutationem ſubire multo maiorem omnis rerum Sacrarum ſcien-

tia debuit, idque non obscure nostra opinione ex libro Sapientiae colligitur.

§. 6.

Insinuare sese non vno modo in interpretationem sacram philosophia graeca potuit, vel nimirum vt doctior esset, atque ad philosophiae huius principia paullo magis adcommodata rerum sacrarum expositio [a], vel vt ingenio nunc indulgerent, allegoriasque Graecorum Philosophorum more [b] captarent interpretes Judaei, cuius postremi luculentum, ni fallar, exemplum habemus in ratione interpretandi, quam Therapeutis placuisse, Philo apud Eusebium [c] testis est, et in ipsius Philonis scriptis [d], qui et Therapeutici instituti non vulgaris admirator erat, et Platonicae Philosophiae ingenti amore tenebatur.

a Legesis e. g. Lib. I. Cap. I. Antiq. Jud. Josephi.

b V. Huetius Origenianorum lib. II. Qaaest. XIII. n. III. p.173.

c Lib. II, Hist. Ecclesiast. Cap. XVII. Solitarium vitae genus, quod homines isti excoluere, in caussa esse potuit, cur magis etiam ingenii lusibus eiusmodi delectarentur.

d Notissimae sunt eius Νομων Ιερων Αλληγοριαι Πρωται.

§. 7.

§. 7.

Sectarum notiſſimarum apud Judaeos diſcrimen momentum in librorum ſacrorum interpretatione habuiſſe, facile coniiciet, qui ſecum reputauerit, quam pronum ſit, vt opiniones ſuas quisque in Scriptis Sacris quaerat. Vt reuera adcuratos legum interpretes habitos eſſe a popularibus Phariſaeos, et quae ad Religionem ſacraque ſpectabant, interpretatione illorum fieri conſueuiſſe, Joſephus teſtatur *, et Seruator eorundem interpretandi audaciam temeritatemque redarguit. **

* Lib. II. Cap. VIII. de Bello Judaico. Antiq. lib. XVIII. Cap. I.

** Matth. V. 19. cf. 20. XV. 1 ſeqq.

§. 8.

Scripta Prophetica nunquam forte diligentius a Judaeis tractabantur, atque ſub Chriſti nati tempora; quo eos inuitare ſpes propinqua beatiſſimi Aduentus debuit. Nihil tum quidem pronius fuit, quam vt, qui ſcripta iſthaec forte exponeret, Meſſiae aduentum perſonamque adumbrari locis ſane quam multis, ſibi perſuaderet; quod, ni fallimur, celeberrimo Paraphraſtae Onkeloſo non ſemel impoſuit.

§. 9.

Longe aliter habere debuit post exortas, quae cum Christianis gerendae erant, lites: tum enimuero effugia quaerenda erant, quibus Christianorum argumenta eluderentur, de quo non semel Doctores Christiani conquesti sunt. *

* V. c. g. Justini Dialog. cum Tryph.

§. 10.

Caeterum persistebat etiam tum allegorica ratio interpretandi apud Judaeos, licet Patres eos σαρκικως omnia intelligere, non semel adfirment, quod illi sic dicunt, quia Judaei, quae ad instituta et cerimonias spectabant, litteraliter interpretabantur, nec Prophetarum locis, quae perspicua videbantur Christianis, deferebant, etsi caetera mysticum quoddam interpretationis genus minime respuerent; de quo dubitare nus Mischna, praecipueque Gemara haud finit, quibus in libris ad traditiones receptas omnia adcommodantur.

§. 11.

Quid quod Cabbalae „ initia quaedam in Talmudicis libris detegere sibi sunt visi viri quidam eruditi, cuius quidem superfti-

ſtitionis multo luculentiora ſunt veſtigia in libris Sohar, et Jetzira, quorum primus R. Simeoni Ben Jochai, alter R. Ackibhae tribuitur [b], cui et Tractatum, Alphabetum Ackibhae nuncupatum, in quo allegorice et *moraliter* forma litterarum exponitur, adſcribunt. [c] Sed totum hoc in dubium vocat, vir eruditiſſimus de la Nauze [d], qui et Cabbalae, et librorum laudatorum tantam antiquitatem eſſe negat, et vtrumque Seculo X. adſignat. Vt vt vero de libris habeat, Cabbalam decimo demum Seculo exortam eſſe, aegre in animum inducimus, ſuntque in ipſa Viri doctiſſimi Commentatione, quae aliter ſentire nos iubent, licet nouam formam Seculo XI et ſequentibus Cabbalam induiſſe non illubentes concedamus. [e]

a Breuem Cabbalae deſcriptionem dabit Waltoni proleg. VIII. Vid. etiam Brucker Hiſt. Philoſoph. Tom. II. p. 969. et ſeqq.

b V. Brucker loc. citat. p. 834 et ſeq.

c V. de la Nauze über das Alter und die Entſtehung der Kabbala in Hiſmanns Magazin I B. p. 265 et ſeq.

d Loc. cit. p. 245 et ſeqq.

e V. Brucker cit. loc. p. 924. et ſeqq. vbi origines Philoſophiae Cabbaliſticae exponuntur.

§. 12.

Qui nouerit, Cabbalam in cruendis ex litteris, punctis, accentibus, ex variis permutationibus, abbreuiaturis, ex litterarum figura et valore arithmetico myſticis Scripturae ſenſibus totam occupari, facile intelliget, quantam cladem interpretationi ſacrae Cabbaliſticum inſtitutum adferre debuerit; mirumque videri poſſet, tam abſurdum commentationis genus hominibus Judaeis placere vnquam potuiſſe, niſi de fonte, vnde manauit, ſatis veroſimiliter conſtaret. *

* Philoſophiam Ægyptiacam, Orientalem, et Pythagoricò - Platonicam commemorat Bruckerus Tom. II. lib. II. Cap. I. Item Cap. III. Sect. III. Platonicam ſacrosque libros Meiners im Grundriß der Geſchichte der Weltweisheit p. 190. Cabbalae recentioris origines ex Philoſophia Saracenica deducit de la Nauze cit. loc. p. 270 et ſeqq.

§. 13.

Magno quidem temporis tractu iacuiſſe apud Judaeos ſtudium Cabbaliſticum, inde nimirum a ſeculo III. vſque ad X., minusque etiam a Judaeis Babyloniis excultum fuiſſe putat Bruckerus *, ſed nulla ſat veroſimilia opinionis ſuae argumenta adtulit. Nam quod exiguam ſtudii Cabbaliſtici noti-

titiam in ſcriptis Judaeorum Chronologicis et litterariis occurrere animaduertit, id ſane non impedit, quo minus per omne illud tempus fuerint, qui ſuperſtitione iſta delectarentur, licetque vel ex Gemara coniecturam facere.

* Tom. II. p. 845 et ſeq.

§. 14.

Grauiora vtilioraque ſtudia inde a Seculo ſecundo, vel prius etiam, a nonnullis Judaeorum Magiſtris, Tiberiade maxime et Babylone, quod volunt, exculta eſſe, תיקון et עטור סופרים (*correctio* et *ablatio* ſcribarum), Keri et Cethib, lectiones Orientalium et Occidentalium, omnisque, vt verbo dicam Maſorae ratio oſtendit [a], adtulitque etiam neceſſitatem ſolidius inueſtigandi ſenſus Scripturae concertatio, quae Judaeos inter Chriſtianosque, Chriſtianismo vixdum exorto, coepit perſtititque. [b] At hoc non obſtante myſticam interpretandi rationem, nugasque Cabbaliſticas non exoleuiſſe omnino, et diligens librorum Talmudicorum lectio, et magna incrementa, quae Seculo XI. et ſeqq. ſumſit Cabbalae ſtudium [c], veroſimile admodum faciunt; quanquam non negamus, fuiſſe peculiares rationes, quae Cabbaliſtarum inſtitutum inde ab hoc tempore promouerent. [d]

a Qui de hac omni re adcuratius vult cognoſcere, adeat praeter Buxtorfium Waltoni Proleg. proleg. XIII. Richardi Simonii Hiſt. Crit. V. T. lib. I. Cap. XXIX. et ſeqq. Eichhorns Einl. §. 115 et ſeqq.; ex quibus diſcet, omnino praeter rem feciſſe Morinum, et Ludouicum Capellum, quod Maſoram omnem contemnerent; ſimul vero intelliget, nimium in ea depraedicanda fuiſſe Buxtorfium, ineptosque eſſe Judaeos, qui Esdram et Synagogam Magnam fabulantur. Verius forte eſt, quod de Maſorae origine colligitur ex ſubſcriptione Codicis de Roſſi 196. Vid. Vol. I. Var. Lect. p. CII. cf. Or. Bibl. P. XXIII. p. 93. et ſeqq.

b Concertationi huic, vti notum eſt, graecas quasdam V. T. Verſiones debemus.

c V. Brucker Tom. II. p. 850 et ſeq.

d V. de la Nauze loc. cit. p. 267 et ſeqq. Vid. etiam Bruckerus cit. loc. p. 848., vbi R. Saadiam Gaon ſtudium Cabbaliſticum Seculo XI. reſuſcitaſſe adfirmat.

§. 15.

Habuit quidem a perfectae quoque Maſorae tempore Synagoga criticos praeclaros Aben Efram, Maimonidem, Sal. Jarchium Seculo XII., ſequenti Dav. Kimhium, et Todroſium, ſiue R. Meir Leuitam filium Todros, quos excepere Lonzanus, et, qui omnium clariſſimus ſuo merito habe-

betur, Norzius [a]; habuit, quod magis nunc noſtra intereſt, inde a Seculo XII. interpretes, qui non infeliciter litteralem ſenſum exponerent, praeter modo laudatos Abeneſram, Maimonidem et Kimhium R. Leuitam filium Gerſon, Iſaacum Abravanelem et alios [b]; quo non parum contulit, quod inde ab XI. Seculo Iudaei, qui inter Saracenos in Oriente degebant, caeteris doctiores, alias nunc ſedes quaerere cogebantur, poſitoque in Hiſpania litterarum domicilio, vbi Saracenorum Principum gratia floruere, ſtudia litterarum Occidenti intulerunt [c]: at ex ipſo ſtudiorum genere, quod excoluere, coniecturam facere licet, non magna inde commoda in Sacrarum litterarum interpretationem redundare potuiſſe; nam in Talmude et Cabbala, Philoſophiaque Ariſtotelica, quo illis viam praeiuere Arabes et Chriſtiani, operam omnem laboremque poſuere. [d] Itaque ex iis ipſis meliores notae interpretibus, quos modo commemorauimus, fuerunt, qui allegoriam Cabbalamque litterae adſociarent; alii Metaphyſica nunc commentariis inſperſerunt, alii denique toti ad Cabbalae ineptias compoſiti eſſe coepere; [e] facileque intelligi poteſt, quantum hoc genere delectarentur, ex eo, quod litteralem interpretationem Karaitarum ferme et Sadducaeorum eſſe iudicarent, hoc eſt, hominum ſuſpectorum, qui a traditionibus ſanctiſſimis alieni exiſterent.

a De Todrosio, Lonzano et Norzio Vid. de Rossi Vol. I. Var. Lect. Proleg. P. I. §. XXXVI — XXXIX.

b V. Richard Simon Hist. Crit. V. T. lib. III. Cap. V. et seq.

c V. Brucker. Tom. II. p. 849 et seq.]

d Ibid p. 850 et seqq.

e V. Richard Simon cit. loc. Brucker p. 855.

§. 16.

Atque haec ferme Exegeseos Judaicae facies superioribus temporibus fuit, neque valde immutata est postmodum. Nihil quidem inde a resuscitatis Christianos inter studiis sacris a Judaeis praestitum, quod de interpretatione sacra melius sperare iuberet, nisi quod non ita pridem R. Moses Dessau, seu quo nomine est notior, Mendelssohnus elegans illae Germaniae Philosophus praeclara sua Pentateuchi et Psalmorum Versione studia popularium excitauit; quae fouere pergunt hodie duce Isaaco Abrahamo Euchel Eruditi quidam nationis Judaicae in Diario suo, quod a. 1784. vulgare coeperunt; * quo inter alia hoc sibi propositum habent, vt sermo hebraeus illustretur, difficilia Scripturae loca explicentur, versioque Germanica V. T. ad exemplum versionis Mendelssohnianae perficiatur. Simile

quid

quid publicae narrationes de Judaeis Anglicanis habent, quorum opera, ſi narrationibus illis fides, duas diuerſas V. T. editiones cum verſione Anglicana et expoſitione propediem habituri ſumus. Sed ſatis pro inſtituto de Exegeſi Judaica; videamus nunc de Interpretatione Chriſtianorum.

* Cum inſcriptione (germanice) Der Sammler, enthaltend Gedichte und Abhandlungen Königsberg quae deinceps erit Geſellſchaft der Beförderung des Edlen und Guten. Vid. Eichhorn allgemeine Bibliothek I B. p. 876 et ſeqq.

§. 17.

Et primum quidem quod ipſos Sacros Scriptores adtinet, quam ſub Chriſti nati tempora placuiſſe Judaeis Prophetas exponendi vaticiniaque adcommodandi rationem diximus, ea tam parum ſuſpecta Apoſtolis viſa eſt, vt a ſcriptis ſuis minime alienam iudicarent, licet caetera ad allegoricas myſticasque expoſitiones non admodum procliues eſſent, Paullo excepto, qui aeui genio plus detuliſſe videtur; quanquam neque Paullus, neque alius quisquam Scriptorum ſacrorum vim poſuiſſe in interpretamentis eiusmodi videtur.

§. 18.

Qui ſacros Auctores excepere, Doctores Chriſtiani magnam partem ex ſcholis Philoſophicis prodiere, inde ab eo tempore, quo Chriſtiana ſacra amplexi ſunt, Platoni magis, quam caeteris Philoſophis addicti, * erga pietatem praeclare adfecti, a myſticaque adeo Theologia, cuius initia Platonis philoſophia continebat, non admodum alieni, Jeſu dignitatem, nouamque Religionem in Veteri Teſtamento, quod res ipſa monebat, vbique probantes, et aduerſus Judaeos acerrime defendentes. Itaque myſticam typicamque ** Scripturae interpretationem Venerandis hiſce Viris placuiſſe, nemo mirabitur, poterantque ſeſe ex parte, vti modo diximus, Apoſtolorum exemplo tueri.

* V. Brucker. Tom. III. p. 269 et ſeqq.

** Philoſophicam quoque in non paucis, ſuapte intelligitur.

§. 19.

Non hae vnae cauſſae erant, quibus permoti primi Religionis Doctores relicto natiuo litteralique ſenſu myſtico inhaererent, verum accedebant aliae. Et primum quidem facile in animum inducere poterant Viri Religionis conſeruandae ſtudioſiſſimi,

eſſe

eſſe aliquid obiiciendum luſibus allegoricis Judaeorum, Gnoſticorumque, qui hoc in genere intemperantiſſime verſabantur, et auctoritatem conciliare ſeu priſcis inſtitutis, ſeu nouis figmentis allegoricis interpretationibus volebant. [a] Eodem inuitare poterant Chriſtianorum quorundam nimia erga Moſis cerimonias ſtudia [b]; ſomnia quoque Chiliaſtarum, quorum litterales interpretationes nunc confutandae erant. Quo accedebat, quod in prima Chriſtianorum inſtitutione non tam *ακριβειας* in exponendo, quam *οικοδομης* et praeceptorum vitae inculcandorum ratio habenda videretur. [c] Denique a linquarum, et hiſtoricae criticaeque eruditionis praeſidiis non ſatis parati erant Viri illi egregii, faciliusque videbatur ingenioſe, quam docte in litterarum ſacrarum interpretatione verſari. [d]

a V. Semler Herm. Vorbereitung 1. St. p. 122.

b Ibid. p. 121.

c Ibid. p. 3. not. 1.

d *Allegorice*, inquit Hieronymus in praefat. Commentarii in Abdiam, *olim interpretatus ſum Abdiam Prophetam, cuius hiſtoriam ncſciebam.*

§. 20.

Haud paullo aliter de Origene, atque de caeteris Patribus, exiſtimandum, in quo con-

coniunctae erant praestantissimae interpretis dotes [a], quique, quantum interpretandi facultate valeret, cum in aliis [b], tum in praestantissimo Σημειωσεων [c] opere demonstrauit. [d] Quo non obstante allegorico interpretationis genere magis etiam, quam caeteri, delectabatur; quod mirum videri posset, nisi quid Virum acutissimum ad exornandam rationem allegoricam permouerit, ex operibus eiusdem sat certo constaret. Et quanquam Therapeutarum, Philonis, et Philosophorum Graecorum consuetudinem, Paulique exemplum non male nostra opinione commemorat Huetius [e], quibus quaedam adiicit Semlerus [f], tamen hae nequaquam potissimae caussae nobis fuisse videntur, quae Origeni interpretationem allegoricam persuadebant, sed ea potius, quod videret, quaedam, in Veteris maxime Testamenti libris, difficillimi explicatus esse, quae facile in alienos absurdosque sensus detorqueri possint, nisi mysticis expositionibus emolliantur. [g] Itaque pro integumentis involucrisque rerum sublimiorum, quae sunt eiusmodi, habenda existimauit. Quo quidem principio semel constituto nihil pronius erat, atque vt generatim pronunciaret, multa in libris diuinis sensu multiplici, tam *morali* nimirum et *mystico*, quam *historico* dici [h], neque recte intelligi exponiue posse, quae scriptis sacris continentur, nisi triplici hoc sensu in subsidium adhibito.

a Grammaticam ſcientiam, linquarum et Critices notitiam in Origene extollit Erneſti. Vide eius Commentationem de Origene, interpretationis librorum SS. grammaticae auctore §. VII. et ſeqq.

b De Origenis Operibus exegeticis fuſe differit Huetius in Origenianis Lib. III. Cap. II. p. 236. et ſeqq.

c An Σημειωσεις a Scholiis et Commentariis Origenis diuerſum opus fuerint disquirit Huetius cit. loc. Sect. I. n. IV. p. 238. Adcuratius ea de re differit Erneſti cit. loc. §. XXIII. et ſeqq.

d De eximio Σημειωσεων pretio Vid. Erneſti cit. loc. §. XXVII. et ſeqq.

e Lib. II. Quaeſt. XIII n. III. p. 173.

f In der Hermeneut. Vorb. 1. St. S. 121. et ſeq.

g Loca quaedam Vide apud Huetium Lib. II. Quaeſt. XIII. n. II. p. 171. Vide etiam, quae ex praefat. Operum Origenis excerpit Semler cit. loc. not. 37. p. 117.

h V. Semler cit. loc. not. 35. p. 106.

§. 21.

Noua haec cauſſa erat, cur Eccleſiaſtici commentatores allegoricum interpretandi genus litterali praeferrent, ingens ni-

mi-

mirum Origenis, ſcriptorumque eius apud Orientis maxime homines auctoritas. Et quanquam vehementes illae, quae de Origenis opinionibus ſcriptisque a quarto ad ſextum ſeculum, in Oriente cumprimis, agitabantur concertationes, non parum imminuere, vti videtur, venerationem, quae Origenis nomini impendebatur, debebant, tamen ſecus apud quam plurimos habuit, et quo magis impugnata eſt Origenis memoria, eo maiori ſtudio in eius opiniones ſcriptaque ferebantur. In Occidente vt ne ignotae eſſent Origenis lucubrationes exegeticae, ſedulo operam dedit Rufinus, presbyter Aquileienſis, qui multa latine vertit [a]; ipſeque d. Hieronymus hanc ſpartam ſuſcepit [b], cui acceſſit poſtmodum quidam, vti coniicit Huetius [c], Bellator, Caſſiodori familiaris; fuiſſeque non ingratam hanc hominibus latinis operam, vel ex eo colligi poteſt, quod numquam tot in Eccleſia latina aduerſarios nacta ſit Origenis interpretatio, quot in graeca habuit. [d]

a V. Huetius Lib. III. Sect. III. p. 244. et ſeqq.

b Ibidem.

c Ibidem p. 252.

d V. Huetius Lib. II. Quaeſt. XIII. p. 170. et ſeqq. Vid. etiam Erneſti cit. loc. §. XXVIII.

§. 22.

§. 22.

Reuera non diu in graeca Eccleſia allegoricum genus placuit, ſed ipſo iam quarto ſeculo ad finem vergente repudiari coepit; qua in re ducem ſeſe praeſtitit Diodorus Tarſenſis [a], cuius rationem ſequuti ſunt diſcipuli Theodorus Mopſueſtenus, et Joannes Chryſoſtomus. Non vnam huius in interpretatione ſacra conuerſionis cauſſam fuiſſe, facile ſuſpicari licet, potiſſima vero in praeclaro horum Virorum, quos modo nominauimus, ingenio, et nimia Origenianae exegeſeos inconſtantia libertateque quaerenda videtur. Vtvt ſit, inde ab hoc tempore praeclari quidam interpretes in Eccleſia graeca extitere, in quibus eminent ipſe Joannes Chryſoſtomus et Theodorus Mopſueſtenus, Iſidorus Peluſiota Chryſoſtomi diſcipulus, et Theodoretus Cyri epiſcopus [b]; quorum omnium laus praecipua in eo poſita eſt, quod dimiſſo allegorico genere grammaticum amplecterentur nativumque ſenſum praeclare exponerent, licet caetera *προς οικοδομην* rationes ſuas inſtituerent, dogmataque et praecepta vitae ſedulo in ſuis expoſitionibus commemorarent. Atque etiam fatendum eſt, ad Noui ferme Teſtamenti libros pertinere, quidquid commentariorum meliorum ſcripſerunt [c], et in his ipſis raro proprio ingenio vſos eſſe. [d]

a Socrat. VI, 3. Sozom. VIII, 2.

b Breuiter et adcurate iudicat de hiſce antiquis interpretibus et eorum commentationibus, quoad in N. T. ſcripſere, Erneſti Inſtitut. Interp. P II. Cap. IX. Vid. etiam Richard Simon Hiſt. Crit. Comment. N. T.

c De Chryſoſtomi Homiliis in Geneſim et Expoſitionibus in Pſalmos, Theodoreti item Quaeſtionibus et Commentariis iudicium fert Richard Simon in Hiſt. Crit. V. T. Lib. III. Cap. X.

d Iſidorum et Theodoretum ex Chryſoſtomo, Chryſoſtomum et Theodorum ex Origene ſua mutuatos eſſe, defendit Erneſti in ſupra laudata commentatione de Origene §. XXVII.

§. 23.

Pauci ſequuti ſunt, quorum quidem opera ad nos peruenerint, ipſique longo demum plurium ſeculorum interuallo melioris notae interpretes caeteri, quos Eccleſia graeca habuit, Theophylactus, Oecumenius, Euthymius Zigabenus *a*; quanquam de Oecumenio valde dubium eſt, Scholiaque in Acta Apoſt. et epiſtolas Pauli Theophylacto adiudicanda cenſet Finettus. *b* Hi ipſi vero ex aliis, inprimisque ex Chryſoſtomo hauſerunt *c*; quibus ſi adiunxerimus, qui in *catenis* (quo nomine ab Thoma Aquinate adpellatae ſunt, graece *επιτομα ἑρμηνειων* dicuntur), quas curarunt Olympio-

do-

dorus, Nicetas, Procopius Gazaeus et alii, hinc inde nominantur, totam bonorum interpretum ſeriem percurrimus. Sed mirandum non eſt, tot annorum ſpatio plures in Eccleſia graeca non extitiſſe, qui in exponendis S. ſcripturis feliciter verſarentur, cum per omne illud tempus litteratura politior non minus, quam Philoſophia iaceret, diſputationesque multiplices, quae in Oriente vigebant, obſtarent, quo minus in grauiora ſtudia Eccleſiae homines incumberent.

a Vid. de his interpretibus rurſus Erneſti Inſtitut. Interpret. cit. loc. et Richard Simon.

b In praef. ad T. III. Opp. Theophyl.

c V. Erneſti Commentatio de Origene §. XXVII.

§. 24.

Diutius in Eccleſia latina allegoricum, myſticumque commentandi genus placuit, quam in graeca, ipſeque d. Hieronymus, qui eruditione multiplici praeditus erat, et ex Origene etiam meliora diſcere poterat, ab allegoriis non abſtinuit; ſed parum iudicii acumine Vir ſanctus valuit, ſaepeque compilatorem potius, quam interpretem egit *, eratque etiam difficile morem aeui deſerere, commentandique genus plurium ſeculorum tractu a Viris piis excultum conſecratumque repudiare. Tamen in ipſis Hie-

ronymi ſcriptis adparet, quod ſupra obſervauimus, eruditionis biblicae inopiam vnam ex cauſſis fuiſſe, quae myſticas interpretationes fouerent; nam vbi criticis, hiſtoricis, philologicisque disquiſitionibus in commentando locus erat, principem ſemper locum litteralis interpretatio obtinet, vti elucet vel maxime ex commentariis, quos in Prophetas ſcripſit. **

* Fatetur id ipſe Hieronymus in praefationibus ad commentarios.

** Egregie de Hieronymo, quoad in Vet. T. ſcripſit, iudicat Richard Simon Hiſt. Crit. V. T. Lib. III. Cap. IX. De eiusdem Commentariis in N. T. Vid. idem Richard Simon Hiſt. Crit. Comment. N. T. et Erneſti Inſtitut. Interp. cit. loc.

§. 25.

Contrarium in Auguſtini Commentariis deprehenditur. Cum Vir Sanctus ingenio admodum valeret, eruditione vero, qualem expoſitio Sacra poſtulat, deſtitutus eſſet, nihil pronius erat, quam vt plurimum argutaretur. In quo fatendum eſt, eum omnibus propemodum interpretibus antiquis feliciorem fuiſſe, vt nihil mirum ſit, eius commentarios tantopere antiquis, et recentioribus etiam quibusdam hominibus depraedicatos eſſe. *

* V. Richard Simon et Erneſti citatis locis.

§. 26.

§. 26.

Ex iis, quae breuiter nunc de Hieronymo et Auguſtino diximus, intelligi poteſt, cur interpretandi ratio, quae eo, quo Patres hi degebant, aeuo in Eccleſia placuit, neque ſequutis temporibus placere deſierit. In vulgus enim notum eſt, omnes latinae Eccleſiae homines ex Auguſtino Hieronymoque potiſſimum ſumenda exiſtimaſſe, quae ad ſcripturae interpretationem pertinerent; Auguſtino vero maiorem etiam prae Hieronymo auctoritatem conciliauit et acutius in interpretando, vti diximus, ingenium, et plurimae laudes, quas ex diſputationibus, cum Pelagianis maxime, conſequebatur. Huc accedebat, quod mox de graecis agentes interpretibus obſeruauimus miſerrimus litterarum omnium ſtatus; praeiudicium, quod paullatim inualuit, nihil innouandum eſſe, audiendam vbique antiquitatem *; denique Theologiae Scholaſticae iugum, quod ſimul ac impoſitum eſt ingeniis, ſtudium liberale omne enecuit.

* Non veremur, ne quis haec poſt ea, quae alibi diximus, in alienam partem interpretetur.

§. 27.

Itaque inde ab Hieronymi et Auguſtini tempore pauciſſimi erant in Eccleſia latina in-

interpretes, qui hoc nomen cum laude aliqua ſuſtinerent. Nam quod Gregorium Magnum tantopere ſuſpexit antiquitas, id quidem ex ratione temporum illorum aeſtimandum eſt, minimeque efficit, vt egregium hunc Romanae Eccleſiae praeſulem bonum interpretem habere poſſimus; Beda vero Venerabilis, qui linquarum nonnulla notitia pollebat, ſeruili ingenio erat, et praeter Hieronymum et Auguſtinum, hunc ipſum, quem modo diximus, Gregorium Ambroſiumque ſibi exſcribendos putauit, niſi quod in libro retractationis, quo Acta Apoſt. illuſtrauit, proprio ingenio vti auſus eſt. Vno verbo, ſi ab Hilario Pictauienſi, Hilario Diacono *, Pelagioque Auguſtini et Hieronymi ferme aequalibus diſceſſerimus, vix vllum Eccleſia latina ad ſeculum vſque XIV. interpretem habuit, qui valde celebrari mereatur.**

* Si eius eſt Commentarius in epiſtolas Paulli, qui inter Ambroſii Opera editur, quod contra Petavium et Oudinum praeunte Blondello defendit Erneſti Inſtit. Interp. P. II. Cap. IX. §. 27.

** V. Richard Simon Hiſt. Crit. V. T. Lib. III. Cap. X. et Hiſt. Crit. Comment. N. T. Vid. etiam Erneſti Commentatione de Origine §. XXVIII., quo contendit, quidquid latini interpretes boni habent, ex Origenis diſciplina profluxiſſe.

§. 28.

Seculo decimo quarto et ſequenti excoli nonnihil apud latinos linquarum ſtudium coepit; quo contulit Graecorum in Italiam aduentus, ſtudium Cabbaliſticum, notiſſimum Clementis V. ſtatutum, et Reuchlini in Germania exemplum: reuixere nunc, in Italia primum, amoeniores litterae: Philoſophiae melioris ſpes rediit: Theologia ſcholaſtica vehementiſſime impugnata eſt et a Myſticis et ab *Humaniſtis*, qui dicebantur: accedebat artis typographicae inventio, quam breui excipiebant editiones Textus Hebraei. Haec ſingula bonum omen pro ſtudio ſacrarum litterarum praebere poterant ſed omen tantum; nimium enim firmas radices barbaries ſuperſtitioque egit, quam vt euelli ex animis hominum illico poſſent. Neque etiam praeſtitum per hunc temporis tractum in iſto genere, quod converſionem omnimodam polliceretur: Nicolai certe Lyrani, et, qui eum caſtigat, Pauli Burgenſis, hominum hebraice doctorum, Laurentiique Vallae conatus, licet non contemnendi, tamen tanti non erant, qui reformando ſtudio exegetico ſufficerent. *

* V. Richard Simon Hiſt. Crit. V. T. Lib. III. Cap. XI. Item Hiſt. Crit. Comment. N. T.

§. 29.

§. 29.

Longe plus ſeculo XVI. contulere ad meliorem ſinceriorem que litterarum ſacrarum tractationem eae, quae Luthero duce in Eccleſia exortae ſunt diſputationes. Cum enim, quod in vulgus notum eſt, ex Textu ſacro potiſſimum Catholicos impugnandos, dogmataque ſua ſtabilienda decerneret Lutherus, factum eſt, vt primum omnes, qui eius partes tuerentur, ſollicite libros S. ſcrutarentur, et cum iam non pauci hebraice graeceque docti eſſent, ad fontes ſedulo prouocarent; ipſique Catholici, cum reſpondendum aduerſariis eſſet, quanquam *traditionem* perpetuo in ore haberent, tamen ex ipſis ſcriptis ſacris adferre cogebantur, quibus argumentis eorum ſatisfieret. Nihil iſthic allegoricos luſus, myſticasque explicationes prodeſſe cernebant; natiuum verborum ſenſum vrgebant aduerſarii, et ſi retorquere vel eludere argumenta vellent, ex contextu, et loquendi vſu ſacro reſponſum vtique depromendum erat.

§. 30.

Fatendum, non parum alio ex capite laetioribus ſtudii exegetici incrementis diſputationes illas Theologicas obfuiſſe, ortumque in Eccleſia nunc eſſe commentandi genus *polemicum* Theologicumque, quod in mul-

multis ſacrorum oraculorum ſenſus aeque aut magis peruerteret, quam genus myſticum et allegoricum; cum vtrarumque partium homines opiniones ſuas litteris ſacris confirmari pertinaciſſime defenderent, et quidquid vellent, in libris ſacris apertiſſime viderent. At ſperari poterat, litibus illis deferueſcentibus, rectius ſenſum ſcriptorum diuinorum inueſtigatum iri, ſplendoremque nacturam eſſe exegeſin ſacram, quem numquam antea habuit.

§. 31.

Vel turbulentis illis temporibus, et ante exortas etiam lites praeſtita quaedam, in quibus magnum momentum eſſe poterat ad adcuratiorem litterarum ſacrarum interpretationem. Et primum quidem inter Catholicos Cardinalis Ximenius, *vt originalia in promtu haberent, poſſentque non ſolis riuulis eſſe contenti,* quae ipſius verba ſunt[a], interpretes librorum ſacrorum, *archetypas S. ſcripturae linquas cum adiunctis variarum linquarum translationibus* imprimi curauit. Paullo poſt Eraſmus edendo textui ſacro animum adiecit, Paraphraſim N. T. concinnauit, et Annotationes adiecit, quae *viam bene interpretandi,* vtor verbis Erneſti[b], patefecerunt, *et in quarum velut fundamentis omnes, qui poſt fuere boni interpretes, aedificauere.* Poſt Eraſmum Robertus

Ste-

Stephanus, cum adhuc inter Catholicos ageret, latino et graeco textui edendo infudare coepit. Sequuta sunt Biblia Polyglotta Antwerpiensia a. 1569 — 72. Erant inter Theologos, qui receptis praeiudiciis de Vulgatae Patrumque auctoritate nunc renunciarent, et interpretationem S. scripturae ex fonte faciendam, in eoque non minori libertate vtendum censerent, atque qua vsi Patres ipsi antiqui; qua de re magna confidentia disputatum in concilio Tridentino et a Theologis concilii aliis, et cum primis ab Isidoro Clario et Fratre Aloysio de Catanea.[c] Quod verbis defenderunt Concilii Theologi, re et exemplis praestitere Cardinalis Caietanus, Maldonatus et Mariana.[d]

[a] In dedicatione ad Leonem Papam X.

[b] Institut. Interp. P. II. C. IX. §. 34.

[c] Historia del Concilio Trident. Lib. II.

[d] V. Richard Simon Hist. Crit. V. T. Lib. III. Cap. XII. et Hist. Crit. Commentatorum N. T.

§. 32.

Quod Lutherum adtinet et nouam Ecclesiam, cuius caput extitit, primum ipsa Bibliorum versio, quam in lucem dedit, et quae non minori apud adsecias in venera-

tio-

tione fuit [a], quam Vulgata apud Catholicos, ad meliorem ſcripturae expoſitionem informare, et in genuinam interpretationis viam deducere poterat. Tam Lutherus deinde, quam Melanchton interpretationem grammaticam, ſummopere commendabant, negabantque ſine hac ſcripturam recte intelligi poſſe [b]; breuique etiam plures bonos interpretes coetus Proteſtanticus habuit, qui grammaticum interpretandi genus excolerent, adiuncto licet dogmatico, in hisque duos valde praeſtantes Victorinum Strigelium, et Theodorum Bezam [c], qui non modo ex fonte interpretarentur, ſed veris etiam ea in re ſubſidiis (de Nouo Teſt. dicimus) litteris nimirum hebraicis et Verſione LXX. vterentur. Ad Veteris etiam Teſtamenti explanationem non vulgarem ſermonis hebraei notitiam adtulere Mercerus, Munſterus, Vatablus et Druſius, quorum trium poſtremorum Annotationes inſertae ſunt Criticis ſacris. [d]

[a] V. Richard Simon Hiſt. Crit. Verſſ. N. T. Cap. XLIII.

[b] V. Erneſti Commentat. de grammatica Interpretatione, quae in Opuſculis Philologicis criticis eſt XV. Cf. tamen quoad Lutherum Richard Simon Hiſt. Crit. Vet. T. Lib. III. Cap. XIV.

[c] V. Erneſti Inſtitut. Interp. P. II. Cap. IX, §. 34. et 35.

d V. Richard Simon Hiſt. Crit. V. T. Cap. XIV. et XV.

§. 33.

Poſtquam diſputationes de rebus Religionis nonnihil conquieuiſſent, ceſſauit paullatim interpretatio polemica, et plus temporis nacti ſunt eruditi ad ſtudia alia excolenda, quae mirum quantum iuuare poterant ſtudium ſcripturarum. Itaque praeterquam quod le Jayus et Waltonus exemplo Eruditorum Complutenſium et Ariae Montani Textibus Originalibus cum Verſionibus antiquis edendis praeclare occuparentur, Textus hebraei editiones ſeorſum alii curarent, erant nunc, qui loquendi genus biblicum adcurate explicarent, vti Glaſſius *, Vorſtius, Gatakerus caet.; alii Philologica et Critica adtigerunt, quod fecere Leusdenius, Hottingerus, Waltonus, Carpzouius, Ludouicus Capellus caet. ex noſtris Morinus, et qui omnes ſuperauit, Richardus Simonius; denique alii Hiſtoriam naturalem Biblicam, Geographiam Chronologiam et Antiquitates illuſtrarunt, quo nomine praeclare meriti ſunt Bochartus, Relandus, Voſſius, Vſſerius, Pearſonius, Marſhamus, Spencerus, Seldenus caet. ex noſtris Petavius, Perizonius, Lamyus. **

*

* Vtilissima esse potest tironibus eius Philologia sacra, quam nostris temporibus adcommodauit Dathius. Lipsi. 1776.

** Opera Vide in Nösselts Anweisung zur Kenntniß der besten allgemeinern Bücher in allen Theilen der Theologie zw. Aufl. Leipzig 1780. et in Niemeyers Predigerbibliothek, Halle 1782 — 84. vbi simul breuiter argumentum librorum indicatur, et criticum iudicium adiicitur.

§. 34.

Antequam isthaec praeclare pro Veteris maxime Testamenti interpretatione ab Eruditis seculi XVII. agerentur, Magnus Hugo Grotius circa seculi dimidium suas in Nouum Testamentum Annotationes * vulgauit, opus immortale, et suo in genere classicum, quo, in iis, quae ad verba et phrasin pertinent, omnibus Noui Testamenti interpretibus viam praeiuit, et genuinae interpretationis fontes aperuit, quippe ipse, vti vere iudicat Ernesti **, omnibus interpretandi subsidiis praeclare instructus, *ingenii, linquarum omnium, versionis των ο, quam primus recte contulit, et vsurpandae rationem exemplo demonstrauit, litterarum etiam Judaicarum et aliarum Orientalium;* vt ex vero adfirmari possit, eum de phrasi Noui Testamenti omnium optime meritum esse, et omnis grammaticae interpretationis veluti Patrem existere.

*

* Prodierunt Tom. I. Amstel. 1641. Tom. II. et III. Paris. 1646 et 1650. Editionem nouam curauit de Windheim Tomis duobus, quorum alter Erlangae 1756 et 57., nam duabus partibus constat, primus Halae 1769. 4. lucem adspexit.

** Institut. Interpret. P. II. Cap. IX. §. 35.

§ 35.

Necdum aliquid tam egregii praestitum in interpretatione librorum V. T. Qui adhuc ad tractanda hebraica accessere, non satis a notitia hebraei sermonis parati erant, eoquod dialectorum ignorantia laborarent. Paullatim quidam Viri docti, et in his praecipue Bochartus, animaduertere, nimis incertum esse sermonem ab annis bis mille intermortuum, nisi ex dialectis vicinis illustretur. Itaque Syriacam, Chaldaicam, et Arabicam linquam Bochartus, magistris vsus Capello et Erpenio, didicit, quibus iunxit Æthyopicam duce Ludolfo.[a] Vtinam vero, quibus subsidiis instructus Bochartus ad scripturae loca singula illustranda sese contulit, iisdem muniti scripturae interpretationem vniuersam adgressi essent alii.[b] Sed secus habuit; plerique omnes pertenui ea, quam sibi ex lexicis, Rabbinorum institutione vel commentariis, Bibliis denique ipsis et Versionibus parare poterant linquae hebraicae notitiam, contenti erant.[c] Quid quod extitere hocce etiamnum, quo degi-

mus.

mus, aeuo, qui ſeſe dialectorum vſui omni contentione opponerent; in quibus eſt Guſſetius, qui aduerſus methodum, quam praeter Scaligerum, Salmaſium, Hottingerum aliosque Bochartus commendauerat, multis diſputauit. [d] Et poſtquam Schultenſius ſuas Origines et librum de defectibus hodiernis linquae Hebraeae vna cum Jobo vulgaſſet, quibus quidem lucubrationibus Vir doctiſſimus dialecti Arabicae vtilitatem euicit et demonſtrauit, vehementem aduerſarium, ſed indoctum, nactus eſt Drieſſenium, qui nihil non egit, vt Diſſertatione ſua *de veris cauſſis et auxiliis interpretandi linquam Hebraeam biblicam* oſtenderet, methodo Schultenſii *linguae biblicae puritati* et *ſacrarum Scripturarum certitudini* derogari [e]. Sed fruſtra erat; Schultenſii ſtudia paullatim probata omnibus eruditis. Et licet quaedam haberet, vti alibi monuimus, Viri Eruditiſſimi ratio, quae rectius repudiata fuiſſent, quaeque nunc auidius conſectabantur non pauci; tamen non diu malum iſtud litteras ſacras vexauit, breuique extiterunt, in Germania cumprimis, qui abuſum et viderent, et refutarent[f]: ipſique Belgae, qui diutius patrio errore tenebantur, rectius hodie ſentire incipiunt; quanquam miramur ipſo huius ſeculi anno ſeptuageſimo Sebaldum Rauium popularium praeiudicia incuſare neceſſum habuiſſe. [g]

a V. Praefat. ad Hierozoicon circa finem.

b Tentauerat eiusmodi quid Ludouicus de Dieu, qui in suis in V. T. libros animaduersionibus dialectos saepe consulit, sed ipsarum dialectorum non satis peritus.

c V. Origines Schultensii Lib. II. P. II. G. VII.

d V. Ibid. Cap. IV.

e V. Vindicias Originum, vbi p. 444-446. edit. alt. Originum occasio simul indicatur Dissertationis Driessianae.

f V. Joh. Dav. Michaelis Beurtheilung der Mittel, welche man anwendet die ausgestorbene Hebr. Spr. zu verstehen. Göttingen 1757.

g In Oratione de iudicio in philogia orientali regundo.

§. 36.

Non stetit hic Protestantium hominum industria, sed praeter dialectum Arabicam dialectos alias in hisque Syriacam excolere coepere, quo nomine meritis laudibus condecorandus est Christianus Benedictus Michaelis, qui *Syriasmo suo*, hoc est grammatica linguae Syriacae, quam a. 1741. in lucem dedit, non parum studium istud apud populares promouit *a*, cuius vestigia praeclare pressit filius Jo. Dav. Michaelis, qui praeterquam quod a. 1768. Chrestoma-

thiam

thiam Syriacam vna cum dissertatione de linqua Syriaca vulgaret, non ita pridem a. nimirum 1784. Grammaticam Syriacam eruditione plenam cum orbe erudito communicauit, quam sequutum est anno elapso Edmundi Castelli Lexicon Syriacum propriis Celeber. Viri adnotatis auctum. Eius studia mire adiuuit nostri Josephi Simonii Assemanni Bibliotheca Orientalis, et Ephraem Syrus, Versio item N. T. Philoxeniana, quam Josephus White, vti alibi diximus, edere coepit. *b* Idem Vir doctissimus Grammaticam Chaldaicam ad certiora principia reduxit *c*, et de ipsa Hebraica post Hillerum et Schultensium, Joannem item Simonis, qui in suo Arcano formarum formas Nominum egregie explicauit, non vulgariter promeritus est *d*, vniuersamque linquam hebraicam suis ad lexica hebraica supplementis inde ab anno 1784. illustrare coepit, *e*

a V. Praefatio ad Grammaticam Syriacam Jo. Dav. Michaelis.

b Hexaplorum quoque Syriacorum partem, sed exiguam, vidit, antequam lexicon ederet (V. Praefat. p. VI.) Haec deinceps praeter Abulfaragii chronicon cura et typis Kirschii breui edendum, ni iam editum est, egregio vsui esse poterunt.

c Prodiit Goettingae 1771.

d V. Vorrede zur Hebr. Grammatik 3te Aufl. Halle 1778. Et Chaldaicae et Hebraicae Grammaticae

nouas editiones promisit Vir indefessus de Hebraica vid. Neue Or. Bibl. P. V. p. 165. nota Caeterum non est nostri instituti singulorum virorum eruditorum nomina laudare, qui rem Grammaticam feliciter tractarunt; vnius Schroederi nomen isthic desiderari nolimus, qui institutiones Schultensianas vsibus studiosae iuuentutis adcommodauit, et nitide, si quis alius, fundamenta linquae Hebraeae explicauit. Prodierunt eius Institutiones Francofurti et Lipſ. 1778.

e Vel in praestantissimis lexicis Hebraicis in quibus Castellianum et Cocceianum ex editione Schulzii Lipſ. 1777. numero, multa desiderantur, quae egregie explicant supplementa.

§. 37.

Nec linquae solum excultae sunt, sed nouis quoque accessionibus ditata studia alia, quae interpretationem Vet. Test. mirum in modum adiuuare poterant. Et primum quidem mores, vita et instituta Orientis diligentius illustrata per eos, qui itineraria scripserunt, in quibus sunt Chardin, Maundrel, Labat, la Roque, Arvieux, Schaw, Pocock, Russel, Hasselquist, Niebuhr, et qui ex aliis collegit, Harmer *a*; quo pertinent, qui de constitutione politica Orientis, antiquitatibus, re oeconomica, legibus et sacris ipsorum Hebraeorum Ægyptiorumque commentati sunt, quo nomine laudari merentur praeter multos alios Paulsen, Lowman, Waehner, Faber, Beer, Büsching,

duo

duo iuuenes eruditi Buhle et Walch[b], Jo. Dav. Michaelis, Vitringa, Jablonski. In maiori item luce collocata Geographia, et Hiſtoria naturalis biblica partim per eos ipſos, qui itineraria vulgarunt, partim per alios, qui id ex inſtituto egerunt, in quibus ſunt Bachiene[c], Wells, d'Anville, Michaelis, Forſter caet. Olaus Celſus, Forskal, Donat, Oedmann, et qui ex Bochartо, Commentariis et itinerariis collegit Schoder.[d] De chronologia, ponderum et menſurarum notitia bene meriti ſunt Bedford, Jakſon, Benigſen, Frank, Eiſenſchmid, Arbuthnot, et peculiaribus diſſertationibus de vtroque Michaelis. Rem medicam adtigere Mead et Schilling. Poeſin ſacram illuſtrarunt Lowth et Herder. De arte interprandi ex inſtituto praecepere Rambach, Turretin, Baumgarten, multaque huius generis praeclara continent notiſſimae Herderi epiſtolae de ſtudio Theologico[e]. Introductiones in libros V. T. dedere Semler, et qui copioſius longe, adcuratiusque argumentum iſtud tractauit, Eichorn[f]. Atque vt de eo, quod omnium maximum, praeclariſſimumque habet aetas noſtra, poſtremo loco dicam, Criſi biblicae ampliſſimam materiem ſubminiſtrarunt in Anglia Kennicottus[g] cum Brunſio, in Italia Celeber. de Roſſi[h], cum iam antea huius rei tenue aliquod initium feciſſent in Germania Jo. Henr. Michaelis, in Gallia Car. Franc. Houbigan-

tius *i*: alio nomine de re critica optime meriti sunt praeter multos alios Jo. Dav. Michaelis *k*, et editores Repertorii litteraturae biblicae et Orientalis. *l*

a Eius Beobachtungen über den Orient aus Reisebeschreibungen zur Aufklärung der heil. Schrift ex Anglico germanice vertit Faber. Prodierunt Hamburgi 1772 – 1779.

b De eorum Calendario Palaestinae oeconomico Vid. Neue Or. Bibl. P. I. p. 169 et seqq.

c Jam supra (§. 122.) laudanda erat eius Historische und Geographische Beschreibung von Palästina aus dem Holländischen überfetzt und mit Anmerkungen begleitet von Gottfr. Arnold Maas. Cleve 1766 – 1775.

d Eius Hierozoici Specimen primum et secundum cum posthumo tertio Tubingae prodiit 1784 – 86.

e Prodierunt Vinariae vulgo Weimar 1780. Pertinent huc etiam Principes discutés pour faciliter l'intelligence des livres Prophetiques, et specialement des Pseaumes relativement à la langue originale, opus, quod XV. Vol. 8. ab anno 1755 – 64. vulgarunt in Gallia Monachi ord. Minim. (Capucini); de quo tamen iudicium ferre nequeo; Vid. Or. Bibl. P. II. p. 105. nota.

f Michaelis Introductionis suae necdum nisi Sectionem primam Partis I. Hamburgi 1787. vulgauit.

g De eius editione V. T. variis lectionibus instructa Oxon. 1776-80. fol. 2 Vol. Vid. Or. Bibl.

h Quatuor Vol. Variae Lectionis V. T. Parmae 1784-88. prodierunt V. Or. Bibl.

i Vtriusque editionem V. T. supra (§. 340.) laudavimus.

k Pertinet huc cumprimis eius Bibliotheca Orientalis Frankf. am Mayn 1771 - et Noua Bibliotheca Oriental. Göttingen 1786.

l Prodiit XVIII. Vol. Lipſ. 1777-86. Magnas quoque spes non ita pridem in Gallia excitarunt supra laudati Monachi ord. Minim. (V. Or. Bibl. cit. loc.), quae tamen ad hunc vsque diem irritae manserunt. Caeterum de Eruditorum, quos hoc §. nominauimus, et aliorum operibus Vid. Noesselt et Niemeyer. Qui opera ipsa adire nequeunt, iis in multis inseruiet Hezels Biblisches Real-Lexikon, quod Lipſ. 1783-85. 3 Vol. 4. prodiit et Pragae recusum est.

§. 38.

Post haec tam praeclare vtiliterque praestita nemo mirabitur, non paucos inter Protestantes enatos interpretes, qui multa eruditione philologica, et pro Philosophiae et litteraturae politioris incrementis magno quoque ingenii acumine et elegantia Librorum V. T. explanationem adgrederentur. Atque vt ne ex antiquioribus Grotium, Mar-

ti-

tinum Geierum [a], Campegium Vitringam [b], Kalinskium [c], et Venemam partim de vniuerſo V. T., partim de Prophetis, Pſalmis, et Prouerbiis praeclare meritos omittam, inter recentiores, et qui ad hunc vsque diem Eccleſiae ſuae ornamento ſunt, vniuerſos aut poene vniuerſos Vet. Teſt. libros illuſtrant Michaelis, Dathe et Schulz [d]; libros poeticos Doederlein [e]; libros Propheticos idem Doederlein, Struenſee, Lowth, Volborth, Amner et Harenberg [f]; Hiobum Schultens, Eckermann, Moldenhawer et Hufnagel [g], Pſalmos Struenſee, Knapp, Seiler et Koehler [h]; Proverbia Schultens Struenſee et Doederlein [i]; Eccleſiaſten idem Doederlein Jacobi et Kleuker, [k] Canticum Canticorum praeter modo nominatos Herder et Velthuſen [l], vt eos ſilentio penitus praetermittam, qui in ſingulis locis explicandis praeclariſſime verſati ſunt. [m] Et quanquam de omnibus hiſce Proteſtanticae Eccleſiae interpretibus ex vero adfirmari poteſt, eos neceſſariis interpretandi ſubſidiis egregie inſtructos ad commentandum vertendumque ſeſe contuliſſe, tamen ſunt, qui, quantum ad linquarum praeſertim notitiam adtinet, palmam caeteris praeripiant, in quibus merito numeramus Magnum Schultenſium et Celeber. Michaelis, quorum primus in Arabicis neminem vnquam in Germania, excepto forte Reiskio, parem habuit, alter multum in Hebraicis, Chaldaicis et

Sy-

Syriacis inſudauit, qui et philologica criticaque eruditione caeteris facile omnibus praeſtat, quanquam ingenio et elegantia inferior eſt. Illud vitio dederim aliquibus ex praeſtantibus hiſce viris, quod in commentando, vbi de locis paullo difficilioribus res eſt, nimium biblia ab obiectionibus vindicandi ſtudium prodant, ex dialectis parum cognitis non ſatis modeſte pronuncient, atque in criticis quaeſtionibus coniecturis iuſto frequentius indulgeant. Caeterum Cocceii praeiudicia, quae et ſuperiori et hocce etiamnum aeuo cum apud Caluiniſtas, tum apud Lutheranos, ſed apud primos maxime, interpretationem ſacram infeſtabant, plerique omnes, Caluini et Grotii ferme rationem ſequuti, praeclare repudiant.

a Hunc mire celebrat et interpretum V. T. omnium facile principem habet Erneſti in Commentatione de Odio Judaeorum Vett. adv. litteras graecas circa finem. Scripſit in Pſal. Prov. et Danielem.

b Celebratiſſimus eſt eius Commentarius in Jeſaiam, qui Leovardiae 1714 et 20. 2 Tom. fol. prodiit.

c Supra iam laudauimus (§. 122. not. k.) eius commentarium in Chabacucum et Nachumum, itemque nonnulla Jeſaiae, Michae, et Ezechielis oracula.

d Joh. Dav. Michaelis deutſche Ueberſetzung des A. T. mit Anmerkungen für Ungelehrte Götting. 1769 —

zw. verbesserte und vermehrte Ausg. Ibid. 1773 — Notae Crit. habentur in Bibl. Orient. Dathii Prophetae min. edit. alt. Halae 1779. Prophetae maiores Ibid. 1779. Pentateuchus Ibid. 1781. Libri Hist. V. T. Ibid. 1784. Psalmi Ibid. 1787. Schulzii Scholia in V. T. Vol. I. II. III. Norimb. 1783 – 85. de Dathii Prophetis min. Vid. Or. Bibl. P. V. p. 126. et P. XV. p. 49. de maioribus ibid. p. 62.

e Doederleinii Scholia in libros V. T. Poeticos Job. Psalm. et tres Salomonis. Halae 1779.

f Doederleinii Esaias cum notis edit. alt. Altorf. 1780. Struensee Uebersetzung des Hoseas Frankf. und Leipz. 1769. des Nahums, Habakuks, Zephanja, Haggai, Sacharja und Malachi Halberst. 1770. des Jesaias, Joels, Amos, Obadja, und Micha ebendas. 1773. des Jeremias ebendas. 1777. Lowth Isaiah. A new Translation with a preliminary dissertation and notes critical philological, and explanatory London 1778. übersetzt mit Zusätzen und Anmerk. von Koppe Leipz. 1779 – 81. Volborths zwölf kleine Propheten. Götting. 1783. Amners Versuche über die sämmtlichen Weissagungen Daniels a. d. Engl. Halle 1779. Harenbergs Aufklärung des Buches Daniels Blankenburg und Quedlinb. 1772. 73. De Doederleinio, Struensee Lowth et eius versione germ. Vid. Or. Bibl. P. XI. p. 148. P. V. p. 159. P. XIV. p. 53. P. XIX. p. 110. P. XXI. p. 34. P. XXII. p. 12.

g Schultensii Liber Jobi cum noua versione et commentario Lugd. Bat. 1737. in compendium redegit et obss. criticas atque exegeticas adsperst Vogel Halae 1773. 74. Eckermanni Versuch einer

ner neuen poetischen Uibersetzung des Buches Hiob Leipzig und Lübeck. 1778. Eius Joel metrisch übersetzt mit einer neuen Erklärung ibidem prodiit 1786. Moldenhaweri Hiob übersetzt. Leipz. 1780. Hufnagelii Hiob neu übersetzt mit Anmerkungen Erlangen 1781. De Eckermanno Vid. Or. Bibl. P. XIII. p. 98. et Neue Or. Bibl. P. II. p. 86.

b Struensee Psalmen mit den Sprüchen Salomons und Klagegesängen Jeremiä Halle 1783. Vid. Or. Bibl. P. XXII. p. 99. Knapps Psalmen Halle zw. Ausg. 1782. Seilers Psalmen Erlang. 1784. Koehleri kritische Anmerkungen über die Psalmen extant in Repertorio litteraturae bibl. et Orient. P. III. et seqq.

i Schultensii Proverbia Salomonis cum versione et commentario Lugd. Bat. 1748. in compendium redegit Vogel. Halae 1769. Doederleinii Sprüche Salomons neu übersetzt mit kurzen erläuternden Anmerkungen dr. Aufl. Nürnb. u. Altdorf 1786.

k Döderleins Prediger und das hohe Lied. Jena 1784. Jakobi das von seinen Vorwürfen gerettete Predigerbuch des Salomo 1779. Kleukeri Salomo's Schriften Erster Theil Leipz. 1777. Salomonische Denkwürdigkeiten. Als Anhang das Buch der Weisheit übersetzt und durch Anmerkungen erläutert. Riga 1795. Vid. Or. Bibl. P. XIV. p. 32. P. XIII. p. 87. Neue Or. Bibl, P. III. p. 85.

l Jakobi das durch seine leichte und ungekünstelte Erklärung von seinen Vorwürfen gerettete hohe Lied. 1771. Kleukeri (verosimiliter) Sammlung der

Gedichte Salomo's sonst das hohe Lied 1780. Herderi Lieder der Liebe, die ältesten uud schönsten aus dem Morgenlande. Leipz. 1778. Velthusenii Catena Cantilenarum in Salomonem. Helmstad 1786. Eiusdem das hohe Lied, begleitet mit einem Commentario Braunschw. 1786. Vid. Or. Bibl. P. II. p. 152. Neue Or. Bibl. P. III. p. 141. P. IV. p. 79. et 122. Vid. etiam Repertorium für B. u. M. Litteratur P. VII. p. 199. P. VIII. p. 269. P. X. p. 241. P. XI. p. 112. et P. XVII. p. 108.

ss Huius generis praeclara extant in Repertorio Litt. bibl. et Orient. Super I. Sam. VI. 19. P. II. p. 131. I Mos. I — II, 4. II, 4 — III, 24. P. IV. p. 129. et seqq. I Mos. III. P. V. p. 158. de Cant. Deborae. P. VI. p. 163. et P. XII. p. 235. über Simsons Stärke P. VII. p. 78. über das Gelübd Jefta P. VIII. p. 43. über die Feuer und Wolkensäule II Mos. XIII. 21. P. X. p. 132. de Schilo I Mos. XLIX. 10. P. XIV. p. 235. Super Prov. VII, 22. 23. P. XVI. p. 117. Jesai. VI. ibid. p. 259. über die Geburtsfolge der Söhne Noah P. XVII. p. 1. Vid. etiam Or. Bibl. vbi multa huius generis scripta recensentur, e. g. de septuaginta hebdomadibus P. VI. p. 71. P. X. p. 1. 25. 27.

§. 39.

Atque vt de Noui etiam Test. interpretatione dicamus, nemo non videt, ea, quae de rei philologicae augmentis mox supra diximus, redundare et in hanc interpretatio-

nis

nis ſacrae partem debuiſſe. Reuera in Grotii Annotationibus licet parca, quoad grammaticam partem ſpectat, deſideres, tamen, quae ex Philologia illuſtranda veniunt, rerumque Orientis vberiore notitia, Magnus hic ſeculi ſuperioris interpres ieiune non raro pertractat. Atque de ipſa etiam phraſi biblica, cui lucem adfundere cum Grotio ſeu ex profanis ſcriptoribus, ſeu ex libris Judaicis Boſius, Elsnerus, Raphelius, Lightfootus et Druſius iam antea conati erant, praeclariſſime noſtro aeuo meriti ſunt Kypkius, Wetſtenius, Krebſius, Loesnerus, et Schoettgenius. Atque etiam vſum Verſionis Septuaginta multo quam antea expeditiorem reddidere Trommius, Bielius et Schleusnerus. Praecepta interpretandi pulcherrimo ordine, elegantiſſimo ſermone, vberrima rerum omnium, quae ad hoc argumentum ſpectarent, notitia tradidit Jo. Aug. Erneſti [a]. Introductionem in N. T. libros omnigena eruditione refertam conſcripſit toties laudatus Jo. Dav. Michaelis [b]. Denique criſim N. T., cuius vix prima elementa tenuit Grotii aetas, reſtaurauit ad finem ſuperioris ſeculi incomparabilis Richard Simon [c], cuius incoepta longe ſuperauit operis magnitudine et vtilitate Jo. Millius [d], et qui Millium ſequuti ſunt, Bengelius et Wetſtenius [e], recentiſſimeque Andreas Birchius [f], cui adiungendi Semlerus et Griesbachius, qui codicum quorum-

dam

dam indo'em adcuratius ſcrutati [g] praeiudicia, quae Wetſtenii inuexit auctoritas, funditus ſuſtulere [h].

a in notiſſima Inſtitutione Interpretis N. T. cuius tertia edit. Lipſ. 1775. prodiit. Fuſius quaedam argumenta pertractantur in Commentationibus: de veſtigiis linquae hebraicae in linqua graeca: de difficultate N. T. recte interpretandi: pro grammatica interpretatione librorum inprimis Sacrorum: de vanitate philoſophantium in interpretatione librorum ſacrorum: de difficultate interpretationis grammaticae N. T., quae extant in Opuſculis Philolog. Crit. edit. 2. Lugd. Bat. 1776. et in ſuperioribus ſaepe laudandae fuiſſent. De Turretino caeterisque, qui huc ex parte pertinent, §. 37. diximus.

b Quarta editio anno elapſo prodiit. In eorum gratiam, qui tertiam poſſident, vulgauit Vir doctus Zuſätze und Veränderungen der vierten Ausg. Göttingen 1788.

c In Hiſtoire Critique du Texte du N. T. à Rotterdam 1684. Hiſtoire critique des Verſions du N. T. Ibid. 1690. et in Nouvelles Obſervations ſur le Texte et les Verſions du N. T. à Paris 1695. Germanice eius kritiſche Schriften über das N. T. Halae cum notis Semleri 1776-80. prodierunt.

d Jo. Millii Nouum Teſt. graecum cum var. lect. Oxon. 1707. fol. Collectionem Millianam recenſuit, meliori ordine diſpoſuit, nouis acceſſionibus locupletauit Ludolph. Küſterus. Roterod. 1710. fol.

e Bengelii Apparatus Criticus ad N. T. Criseos sacrae compendium, limam, supplementum, ac fructum exhibens edit. 2. aucta et emendata ab Auct. curante Phil. Dav. Burkio. Tubingae 1763. Nouum Testamentum graecum editionis receptae cum lectionibus var. Codicum Mss., editionum aliarum, versionum et Patrum, nec non commentario pleniore ex scriptoribus veteribus hebraeis graecis et latinis vim verborum illustrante. Opera et studio Jo. Jac. Wetstenii T. I. Amstel. 1751. Tom. II. ibid. 1752. fol.

f Quatuor Euangelia graece cum Variantibus a textu lectionibus Codd. MSS. Bibliothecae Vaticanae, Barberinae, Laurentianae, Vindobonensis, Escurialensis, Havniensis Regiae, quibus accedunt lectiones Versionum Syriacarum, Veteris Philoxenianae et Hierosolymitanae (eius nempe, quam Romae detexisse Adlerum alibi monuimus). Havniae 1788. Accedunt Prolegomena, in quibus codices mss., e quibus varias lectiones collegit Birchius, breuiter describuntur, quaeque adeo in superioribus saepius laudari poterant, item p. LXXXV. proleg. Adleri epistola, in qua de variantibus ex versionibus Syriacis, quas Birchio transmisit, breuiter exponit, et de versione Hierosolymitana animaduertit, *mixtum quidem esse contextum* huius versionis Syriacae, *maxime tamen cum occidentali recensione facere, quum exhibet codex Cantabrigiensis.*

g Semlers Vorbereitung zur Theologischen Hermeneutik, et Griesbachii curas in historiam textus graeci epistolarum Paullinarum cum Symbolis criticis in superioribus saepissime laudauimus. Alio quoque nomine de critica N. T. praeclare meritus

est

eſt Griesbachius in ſuis N. T. editionibus, quibus variarum lectionum copiam praeclare auxit.

b De Millii, Bengelii et Wetſtenii operibus Vid. Michaelis Einl. §. 106. de Wetſtenii in quibusdam negligentia praeter alios monet hinc inde Griesbach in Symbolis Crit. et Birchius in Prolegomenis; ingenii acumen et iudicii ακριβειαν in eo deſiderat idem Griesbach in Hiſt. Text. Paul. Sect. I. §. 9., qui ibidem, quantum ad adcuratiorem hiſtoriae textus notitiam ſpectat Wetſtenio Millium et Bengelium praefert, valdeque Semlerum depraedicat.

§. 40.

In tanta ſubſidiorum ad meliorem ſolidioremque interpretationem copia fieri non poterat, quin Noui quoque Teſt. libri doctos acutosque interpretes nanciſcerentur, in quibus ſunt praeter Anglos Locke, Peirce, et Benſon, qui epiſtolas Paullinas paraphraſi et notis illuſtrarunt[a], Wetſtein, Michaelis, Semler, Bardht, Teller, Storr, Noeſſelt, Roſenmüller, Morus, Koppe caet. qui varie de Noui T. interpretatione meriti ſunt. Et vniuerſos quidem N. T. libros ex graecis, latinis, et hebraeis antiquis ſcriptoribus praeclare in multis explicat Wetſtenius, quos illuſtrant quoque Roſenmüller, et hoc multo praeſtantior Koppe[b], qui ex aliis ferme collegere, quanquam Koppe ingenio minime ſeruili, qui in ſenſus

ſus contextusque vniuerſi indagandi ratione vix parem habet. Paraphraſi N. T. libros enarrat Bardht [c], acute vereque in multis, ſed in aliis parum ſincere, in quibus praeiudiciis ſuis, quae fabulis ornat, indulget. De Johannis Euangelio epiſtolisque praeclariſſime meritus eſt Storr in erudito libello, quem de conſilio Johannis ſcriptorumque eius vulgauit [d], vbi de hominibus, aduerſus quos Apoſtolus ſcripſit, eruditiſſime exponit. Semleri quoque extat paraphraſis Euangelii Joannis [e], ſed quae criticum magis, quam interpretem iuuare poteſt. Apocalypſim illuſtrant praeter Bengelium, Harenbergium et alios Herder, et Hartwig [f], quo poſtremo nemo acutius hoc in argumento verſatus eſt. Paullinas epiſtolas explicant ex recentioribus Michaelis, Semler, Storr [g] caet.; Michaelis et Semler in paraphraſibus [h], quas, prior in omnes Paulli epiſtolas exceptis, quae eſt ad Romanos, et duabus ad Corinthios, alter in epiſtolam ad Romanos, ad Galatas, et duas ad Corinth. ſcripſerunt; Storr in Diſſertationibus in epiſt. ad Philipp. ad Coloſſ. et ad Philemonem [i], quae adcuratam ſolidamque harum epiſtolarum expoſitionem continent. Epiſtolam ad Hebraeos docte multoque cum acumine enarrat Michaelis [k], eamdemque verſione elegantiſſima, cui praeclarae notae adiectae ſunt, Morus illuſtrat. [l] Singula N. T. loca praeter alios explicant Noeſſelt [m], et

qui

qui omnium N. T. interpretum facile princeps eſt, Jo. Aug. Erneſti. [n] Vocum biblicarum ſignificatus acute eruditeque figit Teller. [o] Harmoniam poſtremo Euangeliſtarum praeclare exponunt praeter noſtrum Bernardum Lamy [p], qui iſtud ſumma cum eruditione egit, Bengel, Hauber, Büſching[q] caet. inter Anglos Macknight, et Brieſtly. [r]

a De Pearcii Commentario in Euangel. Act. et epiſt. primam ad Corinth. Vid. Or. Bibl. P. XI. p. 60. P. XIII. p. 1. P. XV. p. 27.

b Roſenmülleri Scholia in N. T. Norimb. edit. 2. 1785 — 88. V. Tom. 8. Nouum Teſt. graece perpetua annotatione illuſtratum a Jo. Benj. Koppe. Vol. I. complectens epiſtolas Paulli ad Galatas, Theſſal. Epheſ. Goetting. 1778. Vol. IV. eomplectens epiſt. ad Rom. ibid. 1783. Koppii N. T. ornant Prolegomena, variae lectiones, et excurſus, exegetici argumenti plerique omnes.

c Das Neue Teſt. verdeutſcht und mit Anmerkungen verſehen, dritte Ausg. Berlin 1783. Pertinent huc quoque eius reliquae lucubrationes: Briefe über die Bibel im Volkston: Ausführuug des Plans und Zwecks Jeſu caet.

d Ueber den Zweck der Evangeliſchen Geſchichte und Briefe Johanns, Tübingen 1786.

e Prodiit Halae 1771. Vid. Or. Bibl. P. III. p. 6. P. IV. p. 52.

f Herders Μαραν Αθα, das Buch von der Zukunft des Herrn caet. Riga 1749. Hartwigs Apologie der Apokalypse, quam alibi laudauimus.

g Rosenmülleri Briefe des Apostels Pauli an die Philipper, Kolosser, Thessalonicher, an den Timotheus und an die Hebräer, Nürnberg 1781. vsui esse possunt indocto lectori. Vide quoque eius versionem epistolae ad Ephes. in Repertorio Litterat. bibl. et orient. P. VIII. p. 206.

h Michaelis Paraphrases cum notis sermone vernaculo Goettingae 1750. edit. alt. Bremae 1769. prodierunt, Semleri Halae 1769. 70. 76. et 79., vbi 1781. eius Paraphrasis epistolae Jacobi quoque lucem adspexit. De hisce Semleri Paraphrasibus idem esto iudicium, quod de Paraphrasi Euangelii Joannis. Vid. Or. Bibl. P. I. p. 70.

i Prodierunt Tubingae 1783. 86. 87. Vid. Eichhorns allgem. Bibliothek. Vol. I. p. 782.

k Eius Erklärung des Briefs an die Hebr. prodiit Frankf. u. Leipz. 1762 — 64. Primae partis edit. alt. 1780.

l Der Brief an die Hebr. übersetzt, dritte vermehrte Aufl, Leipz. 1786.

m Opusculorum ad Interpretationem sacrarum scripturarum Fascic. I. Halae edit. 2. auct. et emend. 1785. Fascic. II. Ibid. 1787.

n In Bibliotheca Noua, Nouiſſima, in Opuſculis, et commentationibus caet. Dolendum, quod Vir ſummus non libros integros enarrauerit; neminem noſtro iudicio in Graeca et Romana eruditione parem habuit; Verſionem Alexandrinam, qua parte Noui Teſt. phraſin illuſtrat, nemo adcuratius contulit; critico iudicio, ſi quis alius, valuit, praeiudiciis licet quibusdam irretitus, quoad N. T. criſin ſpectat, quod temporis vitium erat. Vnum illi deerat, litterarum nempe hebraicarum paullo adcuratior notitia, qua ipſa tamen inſtructi alii nunquam efficere potuere, vt probabiliores beato Viro interpretes haberentur. Caeterum commentationes quasdam in ſingula loca Strothii, et aliorum ſine nomine Vid. in Repectorio Litterat. b. et o. P. II. p. 1. P. IV. p. 41. P. X. p. 278. P. XII. p. 58. P. XIV. p. 211.

o In plerisque quidem certe; nam in aliquibus Virum ingenioſiſſimum opinionibus gratificari, quibus ſubſcribere difficile fuerit, fatemur. Eius Wörterbuch des N. T. edit. 4. Berolini 1785. prodiit vtiliter cum Telleriano libro coniungetur Langs: zur Beförderung des nützlichen Gebrauches des Tellerſchen Wörterbuchs des N. T. Anſpach 1778 — 85. 4 Thl. 8.

p Commentarius in Harmoniam ſiue concordiam quatuor Euangeliſtarum. Pariſ. 1699.

q Bengels richtige Harmonie der vier Evangeliſten. dritte Aufl. Tübingen 1766. Haubers Harmonie der Evangeliſten. Ebendeſſelben Leben Jeſu Chriſti von den vier Evangeliſten beſchrieben caet. Item Har-

moni-

monische Anmerkungen. Lemgo 1737. Büschings vier Evangelisten mit ihren eigenen Worten zusammengesetzt caet. Hamb. 1766.

r De horum aliorumque operibus, quorum nomina non excitauimus Vid. Nösselt et Niemeyer.

§. 41.

Quis, dum haec legit, quae de Protestantibus hominibus vere narrauimus, non miretur, inde ab Erasmi et Maldonati tempore vix vllum in Ecclesia nostra hominem extitisse, qui, quoad interpretationem sacrarum litterarum grammaticam adtinet, cum eruditis illis viris comparari queat? reuera si integrum commentatorum catalogum apud Richardum Simonium excutio, neminem vnum reperio, qui linquarum notitia ea instructus interpretandi munus in se susciperet, a qua praeclari quidquam ea in re atque eximii expectari posset. Floruit viuente adhuc Rich. Simonio Bernardus Lamy, qui a Philonis, Josephi et Rabbinicorum librorum lectione, magna praeditus Chronologiae antiquae et Geographiae notitia venit ad quatuor Euangeliorum interpretationem *; itaque partem historicam librorum sacrorum, et antiquitates mira eruditione illustrat, sed quoad phrasin spectat, eam ieiune plerumque explicat, ad versionem LXX. licet et hebraica hinc inde

adpellans. Poſt Bernardum Lamium ad ſcripturae vniuerſae interpretationem ſeſe contulit Auguſtinus Calmetus cum ſociis; nemoque dubitat, quin commentarium ſuum litteralem, quem in omnes Veteris Nouique Teſt. libros vulgauit **, egregiis commentationibus ex SS. Patribus et operibus exegeticis Proteſtantium, in hisque Grotii, deſumtis, diſſertationibus item omnigena eruditione refertis ornarit, eoque nomine de ſcripturae vniuerſae interpretatione inter Catholicos vnus omnium praeclariſſime meritus ſit; ſed praeterquam quod Doctiſſimus iſte Abbas Benedictinus in delectu expoſitionum, quas Commentario ſuo inſeruit, non valde ſuum iudicium eruditis probauerit, nihil vel ab ipſo, vel a ſociis laborum toto illo in opere praeſtitum eſt, vnde colligere liceat, linquarum paullo magis peritos interpretes eos fuiſſe.

* Eius commentarium in Harmoniam quatuor Euangeliſtarum mox ſupra laudauimus.

** Prodiit Gallico ſermone Pariſiis 1707. XXIII. Vol. 4. et 1724. VIII. Vol. fol. latine quoque verſus eſt. Ibid. 1730. lucem adſpexit Dictionaire hiſtorique, critique, chronologique, geographique et literal de la Bible. 4 Vol. fol.

§. 42.

Celebrant in Gallia poſt Calmetum Patrem Carrieres Congregationis Oratorii Presbyterum, cuius Commentarium litteralem [a] in vniuerſam ſacram ſcripturam cum caeteris Eccleſiae Gallicanae Praeſulibus magnopere commendabat Celeberrimus Meldenſis Epiſcopus Boſſuetus. At licet Viri docti lucubrationem nunquam videre nobis contigit, vehementer tamen dubitamus, an Bernardo Lamio, de quo mox ſupra diximus, ſeu eruditione, ſeu linquarum notitia comparari mereatur. Vno verbo nemo, quod ſciamus, interpretum noſtrorum ad vltimum hocce, quod viuimus, decennium fuit, qui, non dico Grotii, Schultenſii et Michaelis, ſed Eraſmi et Maldonati dotes ad interpretationem S. ſcripturae adferret. Neque ſolum ignorantia linquarum laborabant interpretes noſtri, ſed auctoritatis quoque praeiudicio turpiſſime occaecabantur, vt in commentationibus ſuis plerique, non Hieronymum, Chryſoſtomum reliquosque Patres *Graecos*, quod optandum erat, ſed Cornelium a Lapide, inſicetum illum, imperitumque hominem [b], ducem ſequerentur; quod vſque adeo verum eſt, vt docti Benedictini, qui duce Cartier circa dimidium huius ſeculi de reformanda Verſione germanica Bibliorum praeclaro et memorando ad poſteros conſilio cogitabant [c], in

Com-

Commentario adiecto praeter Patres Cornelium iſtum potiſſimum ſibi exſcribendum putarent. [d]

[a] Prodiit gallico ſermone Pariſiis 1713-17. XXII Vol. 8.

[b] V. Richard Simon Hiſt. Crit. Commentat. N. T.

[c] V. Praefatio Bibliorum S. P. Germanni Cartier.

[d] V. Ibid. Adparet tamen ex Commentario, eos frequenter meliora nomina Lyrani, Vatabli, Eſtii, Carrierii, quin Grotii quoque excitare.

§. 43.

Inde ab eo tempore, quo in Athenaeis Catholicis linquae Orientales paullo diligentius excultae ſunt, hoc eſt, quo immortalis Rautenſtrauchius, non quo Ludouicus Debielius e Societate Jeſu ſtudiis Theologicis in terris Auſtriacis praefuit, quo quidem tempore, vti accepimus a Viris fide dignis, et qui tum fuere Auditores in Vniuerſitate hac Vindobonenſi, non admodum feruebat iſtud ſtudiorum genus, inde itaque a beatiore illo tempore non ſolum in prouinciis Auſtriacis, ſed alibi quoque, vbi nempe eadem illa ſtudia linquarum vigebant, extitere, qui magnum opprobrium, quod rei exegeticae apud Catholicos tamdiu incubuit, reſarcirent. Et in Bauaria quidem et Ger-

ma-

mania imperiali Laurentius Iſenbiehl, Sebaſtianus Seemiller, Thaddaeus a S. Adam, Henricus Braun, et Sebaſtianus Mutſchelle initium aliquod fecere non contemnendum; Iſenbiehl quidem in notiſſimo Tentamine, quod de Vaticinio Jeſaiae a Matthaeo I, 23. excitato magna nominis ſui inuidia vulgauit [a], Seemiller cum in aliis commentationibus eruditis [b], tum vel maxime in Epiſtolis Catholicis Jacobi et Judae [c], quas ad graeci textus fidem latine reddidit, cum Vulgata contulit, et perpetuis adnotationibus illuſtrauit. Thaddaeus a S. Adam in variis libellis, quos Bonnae et Coloniae in lucem dedit. [d] Braunii et Mutſchellii labores indoctae ferme plebi deſtinati ſunt, caetera magnis laudibus ab exteris excepti, et qui vſui eſſe poſſint etiam doctis hominibus. [e] Simile iudicium eſt de Viri Clariſſimi Chriſtophori Fiſcher Verſione Germanica N. T. [f], qua quidem primus in prouinciis Auſtriacis de ſacri textus intelligentia plurimum promeritus eſt. [g] In docto genere nos aliquid conati ſumus, cum in Specimine Animaduerſionum in graecum Matthaei textum, quod duobus annis antea quam Norimbergae prodiit, conſcripſeramus [h], tum in Epiſtolis Paulli ad Gal. et Theſſalonicenſes, quas anno proxime elapſo vulgauimus. [i] Propediem in lucem prodibit Viri cuiusdam eruditi, qui non ita pridem e Clariſſimi Juliani Monſperger diſciplina prodiit,

diit, Dissertatio in I Mos. XLIX. 10, quae, ni multum fallimur, praeclaras de eius ingenio et eruditione spes excitabit.

a Neuer Versuch über die Weissagung vom Emmanuel. 1778. 8. Historiam litis Isenbiehlianae in compendio narrat Jo. Rud. Schlegel in seiner Kirchengeschichte des achtzehenten Jahrhunderts Vol. I. p. 1075. et seqq. Fusius Walch in seiner neuesten Religionsgesch. P. VIII. p. 7 — 88. Vid. etiam Religionsjournal 1778. et Beilagen zum Religionsjournal. Neueste Religionsbegebenheiten. Item Le Bret Magazin P. VII. p. 22. et seqq. Praeter alia Isenbiehlii scripta extant Beobachtungen von dem Gebrauche des Syrischen puncti diacritici bei den Verbis. Göttingen 1773. et Tractatus introducentes in vniuersam V. ac N. Testamenti scripturam et Theologiam Christianam. Tom. I. Mogunt. et Francof. ad Moenum 1787.

b Exercitatio philologico-theologica ad illustranda et vindicanda quaedam primi capitis Geneseos loca. 1776. Psalm. CXIX. ex ipso fonte Hebraico latine versus cum notis. Norimbergae 1779. Hermeneutica S. August. Vind. 1779. caet.

c Prodierunt Norimb. 1783.

d Skripturſätze aus dem Grundtexte des ersten Mosaischen Buches. 1784. Die Sendungsgeschichte des Propheten Jona. 1786. caet.

e Brauns Heilige Schrift des A. und N. Test. nach der Vulgata mit Bezug auf die Grundsprache übersetzt mit Anmerkungen. Nürnberg u. Wien 1786.

Eiusd.

Eiusd. Geschichte und vorzüglich die Predigten Jesu, nebst der Apostelgesch.; nach dem Zusammenhange der heil. Evangel. beschrieben mit erklärenden Anmerk. Augsb. 1787. Mutschelle's Bemerkungen über die sonntägl. Evangelien; erste und zw. Jahrshälfte. München 1786. 2. B. 8. In praefationibus promittuntur Bemerkungen über die festtägl. Evangel. et amplior explicatio der Bemerkungen. In Braunii praefat. ad Versionem Bibl. nobis non parum displicuit locus, vbi profitetur, se vbique die in der ganzen katholischen Kirche allgemein genehmigten und so sehr beliebten Commentare Kalmets und Menochs consuluisse. Meliores Mutschellius consuluit.

f Prodiit mit Erklärung versehen, Pragae 1784. Jam antea ibid. lucem adspexerat die ganze heil. Schrift, quam versionem Fischerus cum aliis curauit. Elapso anno Clarissimus hic Vniuersitatis Pragensis Professor Institutiones quoque Hermeneut. N. T. vulgauit.

g Cui forte mirum videbitur, a nobis nullam versionis Viennensis a. 1781. mentionem iniectam, is adeat e g. locum I Mos. XIV, 18. et cum eo Vulgatam contendat. Monemus hac occasione in melioribus Versionibus Catholicis celebrari Fuldensem a. 1778., cuius tamen non nisi particulam pluribus abhinc annis legimus.

b Nullus tum quippe apud nos typographus erat, cui mercem tam parum venalem offerre auderemus.

Der Brief Pauli an die Galater und die zween Briefe an die Theſſalonicher überſetzt mit Anmerkungen. Wien 1788.

§. 44.

Eſt haec veriſſima Monſpergeri laus, quod litteras hebraicas primus in prouinciis Auſtriacis planiori et ſolidiori methodo tradiderit, quippe in Schultenſii, Michaelis, aliorumque ſcriptis praeclare verſatus, eruditione grammatica multiplici praeditus, dialectorumque vtilitatem, ſi quis alius, acute peruidens, et perpetuo ſuis Auditoribus inculcans. Itaque ex quo Vir Venerabilis muneri docendi admotus eſt, ſplendorem nouum nactae ſunt linquae orientales primum in Academia hac Vindobonenſi, et non multo poſt in aliis Prouinciarum Auſtriacarum Athenaeis, quo breui commigrarunt, qui e Viri Clariſſimi inſtitutione profecere. Vtinam, qua coeptum eſt via, eadem pergatur!! magnae ſpes adparent, ſed quae euaneſcent, ſimul atque linquarum ſtudium, non dico concidet, ſed ſuperficiarie tractabitur. Quamdiu Religio Chriſtiana perſiſtet, homines, quae ad Religionem ſpectant, ex libris ſacris ſumenda eſſe perſuaſum habebunt, neque Biblia ſibi eripi patientur. Itaque videmus, quanti non modo religionis, ſed ipſius ciuitatis et Reipublicae interſit, vt ne S. codicis ſenſus fal-

falſa interpretatione peruertatur. Meminimus *duorum gladiorum*, quibus media aetas iugulum poteſtatis ciuilis petiit; quae tum fuere tempora, forte numquam redibunt, ſed *fanatiſmo* nulla vmquam religio, nulla ſuperſtitio caruit.

FINIS.

Bayerische Staatsbibliothek München

E m e n d a n d a.

Pag. 159. nota c. l. 2. legendum: *e quinque.*

— 160. §. 313. l. 3. et 4. legendum: *qui lectionarie vulgo audiunt.*

Errores caeteros, quia leves ferme sunt, non indicamus.

Saxonicabr
Staatsbibliothek
Dresden

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Mayer, Ferdinand Engelbert Gregor

Institutio Interpretis Sacri

Vindobonae 1789
Exeg. 693
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10411834-6
VD18 12127914